SYNODVS
DIOECESANA
CAVENSIS

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

HIERONYMO LANFRANCHI

EPISCOPO CAVEN.

In eius Cathedrali Eccleſia habita ſub die xix. xx. xxj. Septembris Anni MDCXXXVIII.



ROMÆ, Typis Vitalis Maſcardi, MDCXLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

HIERONYMVS LANFRANCHI

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cauen. eidem Sanctæ Sedi immediatè subiectus & Dominus temporalium Iurisdictionum Ciuilis & mistæ in eadem Ciuitate, & Diœcesi, Vniuerso Clero, populoque sibi commisso salutem in Domino sempiternam.

CVM nihil ità proprium Pastoris sit, ac ea quæ hominum vitio in deteriora labuntur, paterna vigilantia emendare, & iuxtà Ezechielis vocem quod perierat requirere, quod abiectum erat reducere, quod confractum alligare, quod nfirmum consolidare, & quod pingue, & forte custolire; hoc enim est visitare, vt ibi Dominus ait. Ideò naurae humanæ infelici conditione perspecta, quæ prooter peccatum eò miseriarum deuenit, vt à mandaorum semita crebrò deflectens, atque ad malum ropensior sæpe dilabens, in exitium videatur ruee voluntarium: & cum leges iam editæ omnibus reum euentibus propter multiplicem humanarũ actioum conditionem, maximamque, ac infinitam reum, quæ contingunt, varietatem satis prospicere ne-

queant, plurimis, nouiſque legibus, & inſtitutis, imbecilli, infirmoque hominis opus fuerat, quibus quaſi vinculis adſtrictus coërceretur, ne ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinaret, & ſi aliquando aberraret, ijſdem adiutus, ad idem facilius reuocaretur. Huiuſmodi autem officij genus quod potiſſimè ad Epiſcopale munus attinet, in Synodis Diœceſanis, quæ ex Conc. Trident. præſcripto ſingulis annis ſunt celebrādæ præcipuè eſt obeundum. Nos idcirco pro Epiſcopalis officij munere, gregis nobis commiſſi ſaluti conſulere cupientes, cum primum hoc laboris, & officij noſtri onus ſuſcepimus, poſt vniuerſam Diœceſim, à nobis viſitatam, multaque ad cultum Diuinum, & animarum ſalutem in eadem ipſa viſitatione ſancita, & ordinata, Synodo Diœceſana conuocata, in qua authore Spiritu ſancto, qui mentes hominum ſuo lumine benignus illuſtrat, multa conſtituimus, quæ ad Catholicam Fidem conſeruandam, diuinum cultum augendū, atque ad eccleſiaſtici ordinis homines, & reliquos omnes fidei noſtræ commiſſos in officio continendos eoſque ad ſanctiorem vitæ rationem reuocādos in primis pertinere duximus. In ijs vero decernendis, non opinioni, aut ſenſui noſtro, qui ſæpè nos fallit, credidimus, ſed aurea ſacroſancti Conc. Trident. ſacrorumque Canonum, ac Pontificiarum Conſtitutionum decreta ſecuti ſumus. Haſce igitur noſtras ſalutares conſtitutiones (ad vnā tantum formam omnes præteritas reducentes) quas vobis omnibus notas eſſe maximè cupimus, Typis imprimendas curauimus, vt ſic

im-

impressæ ad manus vestras facilius peruenirent, & eximiæ, ac paternæ nostræ in vos beneuolentiæ perpetuũ extaret monimentum. Iam igitur vestræ partes erunt, illarum summa ope niti, vt eas grato animo suscipientes, quam diligentissimè in vnitate spiritus seruetis; Deum à quo omne datum Optimum, & omne donum perfectum est assiduè rogantes, vt cordibus vestris charitatis legem digito suo scribat, cuius vim intimo animi sensu complexi, non solum vobis ipsi sitis lex, & norma beneuiuendi, sed alijs etiam, quibus perlucere debetis, Religionis, & virtutum omnium exempla præbeatis, vt Dei Sanctiss. Nomen in cuius sortem vocati estis, glorificent, & populi vestræ fidei commissi maiorem in dies progressum faciant in via Domini, memores eius quod per prophetam dicitur. Sancti estote quoniam Ego Sanctus sum. Et vt Apostolus ait: nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium vestrum. Quod si vt speramus feceritis; vestrarum animarum saluti (quam maximè expetimus) vberrimè consuletis; Identidem considerantes, quæ delinquentibus pœnæ, quæ innocenter, pieque viuentibus futura sint præmia, quæ iustus iudex in illa die pro cuiuscumque merito persoluet. Valete in Domino. Dat. in ædibus Episcopalibus Cauen. sub die.

EDI-

EDICTVM

Pro Celebratione Synodi Cauen.

HIERONYMVS LANFRANCHI
Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cauen.
eidem Sanctæ Sedi immediatè subiectus,
& Dominus temporalium Iurisdi-
ctionum Ciuilis, & Mistæ in
eadem Ciuitate &
Diœcesi.

AB initio nostræ propositionis ad hanc Cauen. Ecclesiam cui immensa diuinæ largitatis bonitas, per viscera misericordiæ suæ, licet indignos, ac meritis imparibus præesse voluit, semper cordi fuit, vt pastorali nostro muneri satisfaceremus, Ciuitatem, & Diœcesim nostræ curæ concreditam, à vitijs expurgare, pietatem instaurare, cleri disciplinam reformare, populique mores, & vitam, in melius redigere. Quod vt exequeremur, Sacrorum Canonum & precipuè Sac.Conc. Trident. vestigijs inhærentes Diœcesanam Synodum conuocare decreuimus, sed visitatione locali eiusdem diœcesis, per annum continuum, paulò post nostrum ingressum ad eandem Ecclesiam, maximis laboribus absque vlla intermissione prepediti, nostrum desiderium in hac parte adimplere nequiuimus. Cupientes igitur quantum diuina ope adiuuãte possumus opportuna remedia adhibere, spiritualibus malis, quibus in prædicta nostra visitatione clerum & populum laborare cognouimus, eamdem Diœcesanam Synodum, Dominica tertia proximi Septembris, quæ erit decima nona dies eiusdem mensis, cum continuatione aliorum dierum, Deo adiuuante, celebrandam statuimus: Quarè omnibus nostræ Cathedralis dignitatibus, & Canonicis, ac cunctis Ecclesiarum Parochis, & beneficiatis, cunctisque dictæ nostræ Ciuitatis & Diœcesis, qui de iure, vel de consuetudine interesse tenentur; Man-

damus

damus quatenus sub pœnis à Sacris Canonibus constitutis, alijsque nostro arbitrio infligendis, cum habitu congruo, & decenti superpelliceo, insignibus, & clericali tonsura personaliter conueniant per se ipsos, nec per procuratorem, nisi ex legitima caussa à nobis probanda excusentur, nec inde nisi obtenta à nobis licentia discedere audeant & præsumant, sub eisdem pœnis. Mandantes, vt tàm in nostra Cathedrali, quam in alijs Parochialibus nostræ Ciuitatis, & Diœcesis per singulas hebdomadas, quinta quaque feria, quo ad ipsa Synodus absoluta, & dimissa fuerit, Missa solemnis de Spiritus sancto cantetur; & inter missarum solemnia Parochi populum hortentur, vt preces ad Deum pias effundant, pro felici huius Sanctæ Synodi successu, vt omnia ad Dei gloriam & laudem, nostram, & qui nostræ curæ sunt commissi salutem dirigantur, & feliciter peragantur. Volumus autem, vt hoc nostrum Edictum iu Burgo magno Cauen. affigatur in locis solitis & consuetis, & sic affixum sit tanti roboris, & firmitatis, ac si personaliter cuilibet eorum, ad quos spectat personaliter esset notificatum. Cauæ affigatur &c. Datum Cauæ in Episcopali Palatio Die 7. mensis Augusti 1638.

Hieronymus Episcopus Cauen.

Amouentes, lacerantes, denigrantes, aut quomodolibet deturpantes, vel ad id auxilium, consilium vel mandatum præstantes, sint eò ipso excommunicati.

D. Carolus Stendardus proact.

Clericus Michael Angelus Bottus Cursor Curiæ Episcopalis Cauen. retulit mihi D. Carolo Stendardo proact. eiusdem Curiæ Cauen. publicasse, & affixisse supradictum Edictum in Burgomagno huius Ciuitatis Cauæ sub die 7. Augusti 1638. Illudque amouisse die 18. Septembris eiusdem anni 1638.

ORA-

ORATIO

Habita in principio Synodi Diœcesanæ prædictæ per Admodum Illustrem & Admodum Reu. D. Ioannem Camillum Franchum S.P.D. Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ Cauen. Prothonotarium Apostolicum ac Generalem Vicarium supradicti Illustriss. & Reuerendiss. Domini Episcopi Cauen.

VETEREM illam, & iam indè ab heroicis vsque temporibus ductam Christianæ Reipub. institutionem (præsul Illustrissime, Ornatissimi Auditores) pro dignitate laudari nunquam satis arbitror; qua nimirum vel ad instaurandam pietatem, vel ad innouandos mores à Patribus comitia haberi solent, virorum non religionis minùs quam doctrinæ laude præstantium. Etenim cum ità, vel naturæ, vel temporum vitio comparatum sit, vt quem initio rerum ardorem animus exceperit, eundem, aut remittat paulatim, aut extinguat omninò; Multò id enimuerò in pietatis, ac sanctimoniæ vi relaxanda, & accidere sæpiùs, & vsuuenire facilius experimur. Ea propter nisi Sanctissimis identidem reparentur inducijs, fiet vt religionis igniculi in omnium mentibus penitus extinguantur. Quodnam igitur vnquam potuit, aut certius, aut potentius languenti pietati remediū adhiberi, quam in comitijs, in foro sanctitatis atque sapientiæ, de moribus, de veteri disciplina, de legibus, atque institutis, vel innouandis, vel inferendis præstantium virorum consilio decerni? Et sanè huiusmodi quidem consessuum vtilitatem facile erit ostendere, si velimus præteritorum annorum memoriā in medium tantis per adducere. Namque vt primū ipsa tanta rei incunabula indagemus quis est tam inscius rerum diuinarum, quem lateat illos ipsos Christianæ religionis authores, ac Patres, duodenos, inquam, illos Euangelicæ sanctimoniæ proceres, cœpisse olim diuini numinis afflatu, hos inter se cætus habere, atque hunc cogendi Senatus morem instituisse. Cum dissentientibus inter sese hebrai-

cæ

cæ ethnicæque gentis iam in Christo renatæ primoribus de antiquæ legis ritibus seruandis, tunc primo Christianæ Reipub. Sanctiones, ac decreta magno cum omnium commodo in publicum prodiere. Ex hoc scilicet quasi integerrimò fonte comitia fluxere illa, quæ omni tempore habita deinceps & ad hæc vsque nostra ducta essa cernimus, vt in omnem consequentium ætatum ambitum dilabantur. Et mihi quidem Patres tanti cœtus primordia cõsideranti duo potissimum visa sunt, quæ necessitatem huiusmodi conuentuum maximam induxerint. Alterum excitata repente hæreticorum gens, atque familia, ac pessima illa horum perditissimorum colluuies ac pestis, quę cum semel est exorta grassatur vbique, & totas ipsas prouincias, ac regna vehementi incendio corripit, atque deuastat. Altera extincta in animis morum integritas & Christiani ardoris prisca pietas pænè inter mortua. Quod malum quamuis non ita immane sit, ac truculentum, atque hæresis; illius tamen mater propemodum, & caput meritò dici potest, Nàm cum animus semel pietatem exuit, facile induit hæresim & qui altero pede morum claudicat, facile etiã altero fidei quo tota spes salutis innixa videbatur, debilitatur, quique semel in morum licentiã tanquam in scopulũ nauim pietatis impegit, facile in hæreticas sirtes fidei naufragiũ facit. Iam verò quot vulnera, quot clades ab huiusmodi hominibus Christianæ Reipub. illata sint quis sine ingenti sensu doloris enumeret? quem enim cultum hæreticorum perfidia non violauit? Ecquot legum Sanctitas nõ impio eorum ausu est rescissa? Ecquam sacrarum litterarum auctoritatem planè infringere non sunt conati? Ecquam morum integritatem, ecquam sanctimoniam, ecquam vitæ innocentiam nõ perdidisse, aut legimus; aut audiuimus? quid inausum, quid intentatum relinquerunt? Sensere impias perditissimorum hominum flammas, imminutus castissimarũ Virginum pudor, sublatus rerum sacrarum cultus; viduatæ Sacerdotibus aræ, flamines procul ab aris exacti. Fuit ne in animis fides, quam non infregerint? fuit in Reges ac Dominos cultus, quem non dissoluerint? fuit liberorum in parentes obsequium quod non deleuerint? fuit parentum in liberos Charitas, quam non extinxerint? fuit ne denique vlla vnquam in orbe terrarum vniuerso pietas, ac virtus, quam pro viribus non

 oppu-

oppugnauerint, excluserint, extinxerint? Quid ego hic Asiam pœnè omnem, quid Aphricam, quid ex nostra Europa, Germaniam, Galliam, Belgiam, Thraciam, Greciam, Angliam, Hyberniam in medium attritas, ac dolenti firmate conuestitas educam? Quòt Nestorios, quòt Pelagios, quòt Arrios, quòt Caluinos, quòt Lutheros, aliaque genus portenta expertæ, hodièque illorum lethale Virus sentiunt, suoque adhuc in sinu eorumdem furijs agitantur? Nulla enim tam immanis bellua sanguinis siti correpta est vt perfidorum hominū rabies in vitæ morumque innocentiam deseuijt. Nulla vmquam tempestas, nullum incendium tàm longè, latèque grassatur quantum sese hæreticorū turbo, atque flamma momento diffunditur. Nullum excussum è nubibus fulmen exaggeratas arces, ac turres ità repentè vastauit, ac rabidus illorū furor omnia longè lateque euertit, ac perdidit. Nulla demū cōcussi orbis vastitas ac ruina tā grandis, quæ cū huiusmodi possit clade conferri. Qui se igitur belluis tàm immanibus Hercules opponerent, nisi hominum Sanctissimorū atque præstantium Sapientiæ laudibus cœtus, atque concursus?

Quò tandem è cœlo restinguēdo tartareo igni celestis doctrinæ defluuia deriuari poterant, nisi ex hoc vno. Et quod excussis fulminibus retundendis, se firmius scutū objjceret, nisi formata, tot eximiorum procerum consensu sententia? Hinc elapsis retro sæculis Niceni, Constantinopolitani, Lateranensis, ac Tridentini Senatus, atque consessus habiti sunt, quibus tam importunū incendium vel est restinctum omninò, vel certè magna ex parte compressum. Iam verò vt collabenti morum disciplinæ possimus occurrere sapienti sanè consilio prouinciales, ac Diœcesani conuentus haberi solent, qui quidem licèt nō tàm se latè diffundant, sed spatijs breuioribus circumscribantur, tamen non raro commoda indè non minora vsurpantur, ac fructus pœnè dixerim existit vberior. Nam quemadmodum orienti soli plaga vicinior, illius præsentia vnionum redditur, & mercium felicitate fæcundior, ità quæ præsentissimū obtinet regio corrupta remediū tanto faciliorem habet ad pristinam integritatē, sanctitatemque regressum; & licèt sint conuentus illi totius orbi cultu ac veneratione digniores, in quibus præclarissimæ Christianæ Reipub. lumina frequenter conueniunt, vt publicis necessitatibus obuiam

eant

eant ; Prouinciales tamen, ac Diœcesani, nescio quomodo vberiorem pænè, seù præsentiorem colligunt segetem ; & iure sanè optimò, quippe qui certis ratisque legibus dissolutos vincientes, vbi opus est, atque seueris, ac rigidis institutis si qua labat ex parte pietatem fulcientes, celebre sanctitatis emplorum, ac firmissimum collabentis disciplinæ munimen mereantur nuncupari, in quibus si quid vetustate corruptum, si quid temporũ iniuria deperditũ, si quid naturæ vitio deprauatũ, si quid humana imbecillitate vitiatum, erigitur, innouatur, integritati redditur, ac præstinæ dignitati restituitur. Actum esset de vitæ innocentia, nisi exerescens subindè licentia opportunè compesceretur. Perijsset integritas, nisi his identidem confirmaretur auxilijs. Interijsset funditus æquitas, ac temperantia, nisi enascentes libidines hinc inde flammis ac facibus tanquam lerneæ Idræ capita retunderentur. Denique iaceret humi afflicta religio, nisi hoc excitata stimulo viuax insurgeret. Est igitur eorum qui vestigijs insistentes maiorum suorum pio huic cogendo senatui diligentem operam nauant, sedulitas commendanda. Nec possum ego Præsul Illustrissime admirabilem animi magnitudinem, non summopere laudare atque suspicere, siquidem quidquid est muneris tui sic exequeris, vt optimi Antistitis numeros omnes implere sit exploratum, atque id præcipuè temporis, cum maiorum vestigijs stratum iter ingrediens sanctæ huius Synodi cætum habes, ex qua tanquam ex fælicissimo semine pulcherrimam morum sanctorum segetem prouenturam confidimus; quod quidem eò firmius persuasum est, insitumq; animis nostris, quo certius diligentiæ, ac Vigilãtiæ tuæ specimen edidisti; siquidem vix te Pastorem audiuimus cum nostro bono inhærentem videmus, vix pede in ouile crediti gregis illato, lustrandæ longè lateq; regioni operam nauas; neq; ab hoc tam laudabili consilio, vel temporis inclementia auocare, vel caloris vehementia deterrere; neque ipsa rei magnitudo, nec obeundi muneris insolentia ac nouitas dimouere potuerunt; verũ ardore mentis ipsius solis, cœliq; feruorem; magnitudine animi, molem tanti operis, superasti, & quod vsui, atq; experiẽtiæ deerat, sagaci cõsilio suppleuisti. Quod si licet tanti laboris fructus obiter inspicere, quibus non est incõmodis obuiam itum? qui non obices superati? quæ non estirpa-

ta funditus errorũ seges?quæ morum nequitia nõ castigata? Cernimus te auctore, te auspice redditũ templis, arisq; cultum augustiorẽ, insitam Sacerdotum mentibus vigilantiã longè maiorem, gregi vniuerso fæliciter cautũ; atq;hæc sanè decora te vnũ magis decere arbitror, quã reliqua illa omnia quibus, vel ad gloriã,vel ad dignitatẽ satis es superq;instructus.Nõ eò profecto,nõ eò inficias te multis , ijsdemq; magnis ornamẽtis perspicuũ esse, tamen hoc affirmo,nullã in his esse laudẽ ampliorẽ ea, quã à tua vigilãtia,ac sapientia es nuper adeptus.Quam vis enim Nataliũ, ac familię tuæ decor is est, vt meritò possit cum qualibet nobilissimi generis gente conferri; siquidẽ neque vetustatis , ac fumosarum imaginum lucem,neque illustrium facinorum magnitudinem,neque honorum ac dignitatũ decus,neq;aliud vllum ornamenti genus desiderat,cùm hæc omnia illi abundè suppetant;tamen hanc omnem gloriam,& lucem, nescio quò pacto è tuæ virtutis veluti lucidissimis radijs retundi quodammodo censeo . Etenim quòd gens tua multis ab hinc annis ab vrbe Pisarum in omnes ferè Italiæ Vrbes deducta,vbiq; effloruerit; Quòd ab eadem Vbaldi duo Patrię Archiepiscopi,quorũ alter magni illius exercitus, qui septingenta hominum millia conficiebat ad Hierosolymam expugnandã Ductor extiterit; Quòd ab eadẽ Eminentiss.Vgo, qui nõ modò priorũ munus cum laude obiuit sed in purpuratorũ & Patrum Senatum accitus est,originem duxerit; Quod ex eadẽ præstantissimi duces ac gloria militari nitentes,tamq; ex equo Troiano prodierint multi;Quòd eadẽ cum præclarissimis huius regni familijs est affinitate coniuncta ! Non exiguæ inte cumulũ laudis iure optimo nõ nemo deriuet.At illa sunt planè exotica;Ampliora sunt illa tua omnino, & magis decora, tanta cũ animi moderationẽ alios moderari,exẽplo magis, quã dignitate præesse, incredibilem de tuarum ouium cõmodis sollicitudinẽ, vel ipso in muneris suscepti exordio ostentare . Hinc quidquid deriuatur decoris,ac ornamẽti(deriuatur autem plurimum) id totum tuum est. Quarè gaude isto tuo tàm excellenti bono, quodq; à te tam sapienter inchoatum est perfice, atque maioribus, vt par est,accessionibus atque incrementis amplifica . Dixi .

In Nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

ILL.MVS ET REV.MVS D. HIERONYMVS LANFRANCHI Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cauen. eidem S. Sedi immediatè subiectus, & Dominus temporalium Iurisdictionum Ciuilis & mistæ in eadem Ciuitate & Diœcesi.

SACRI Concilij Tridentini Vestigijs inhærendo & præcipuè Sess. 2. hortatur omnes & singulos Sacerdotes, ac quoscunq; alios Christifideles hic congregatos ad Diœcesanã Synodum concelebrandã, vt se à malis, & peccatis hactenus cõmissis emendadare studeant & de cætero in timore Domini ambulare, & desideria Carnis non perficere; orationibus instare; præcipue tẽpore quò sacra peragũtur collocutiones & cõfabulationes nõ fiant, sed ore & animo celebranti assistatur. In aliquibus rebus in Synodo proponendis nullus debeat, aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullus etiam obstinatis disceptationibus contendere, sed quidquid dicetur sic mitissima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti Iudicij acies perturbato animo inflectatur.

Insuper mandauit, ac simul decreuit nulli præiudiciũ generari, nec nouum aliquod ius acquiri, si cõtigerit aliquem in suo loco nõ sedere, vocari, subscribere, ac alios quoscũq; actus in præsenti Synodo facere.

~~Itẽ iussit publicari ministros Syn. in hũc qui~~ sequitur modũ videl.

R. D. Ioannes Coda V. I. D. Promotor fiscalis.

R. D. Mauritius Canalis Sac. Theol. Professor Secretarius.

R. D. Felix de Iulijs Canonicus Notarius.

Deindè mandauit prædicto Notario, vt suo nomine proponeret Examinatores Synodales, qui sunt infrascripti, videlicet.

Admodum R. Doctor D. Ioannes Camillus Franchus Archidiaconus Protonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis Cauen.

R. D. Petrus Catonus Archipresbyter.

R. D. Michael de Marinis custos, & Pœnitentiarius.

R. D. Terentius de Alferio Canonicus.

R. D. Felix de Iulijs Canonicus.

R. Doctor D. Vitus Antonius Zizza Canonicus.

R. D. Franciscus Antonius de Rosa Sac. Theol. Doctor. Canonicus.

R. Doctor D. Iosephus Franchus.

R. D. Mauritius Canalis Sac. Theol. professor.

R. D. Matthæus Albanus S. Theol. Profes. & Magister Seminarij.

Subindè mandauit prædicto Notario, vt proponeret Iudices Synodales

dales

dales, siuè conseruatores, iuxtà dec. S. Conc. Trid. sess. 14. c. 5. de Reformat. & nouissimæ Const. Greg. XV. quæ incipit SS. in Christo Pater editæ in anno 1621. die 20. Sept. cum qualitatibus dec. a fel. mem. Bonifac. VIII. in c. Statutū de rescrip. in 6. pro caussis à S. Sede Apostolica delegatis, & pro caussis Regularium.

Ad. R. D. Io: Camillus Franch. P. I. D. Archid. Proton. Ap. & Vic. Gen.
R. Doctor D. Michael de Marinis custos, & Pœnitentiarius.
R. Doctor D. Vitus Antonius Zizza Canonicus.
R. Doctor D. Ioseph Franchus Paroch. S. Petri ad Sepim.
R. Doctor. D. Matthæus Gagliardus Paroch. S. Petri ad Sepim.
R. Doct. D. Constantinus Passarus Proton. Ap. & Paroch. SS. Annunt.
R. Doctor D. Franciscus de Mauro.

Deniq; eidē Not. precipit proponi test. Synod. qui sunt infrasc. videl.
Omnes Vicarij Foranei.
R. D. Io: Martinus Salernus Canonicus.
R. D. Ioannes Coda Canonicus.
R. D. Matthæus Bartirotta Parochus S. Mariæ Corporis Cauæ.
R. D. Franciscus Antonius Genuesius Parochus S. Petri ad Sepim.
R. D. Simon Trabuchus Paroch. S. Mariæ Purific. de Vetranto.
R. D. Io: Sabbatus Canalis Paroch. S. Michaelis Archangeli.
R. D. Vespasianus Gaudiosus Paroch. S. Io: Baptistæ à Casabuni.
R. D. Ioseph Cant. adiutor Paroch. Eccles. S. Io: Baptistæ a Vietri.
R. D. Didacus Curcius Paroch. S. Nicolai à Priato.
R. D. Thomas Antonius Vitalis Parochus S. Nicolai adupino.

Quibus peractis mandauit suprad. Secretario vt legeret decr. Sac. Conc. Trid. de Resid. videlicet decr. sess. 6. c. 1. de reformat. ac sess. 23. cap. 1. similiter de reformatione.

Item mandauit etiā legi dec. de fidei profes. emittenda sess. 25. c. 2. de reformat. quò lecto pro eius obseruatione mandauit omnibus ac quibuscumq; dignitates, Canonicatus, & Paroch. Eccles. habētibus publicā fidei professionē emittere iuxtà formā à fel. rec. Pij IV. traditā. Et sic ipse Illustriss. & Reuerendiss. D. antè faldistorium genuflexus fidē professus est ad Crucifixi D. imaginē. Deindè omnes alij simul eandem emiserunt, & in manibus eiusdem Illustriss. Domini iurauerunt ad S. Dei Euangelia.

Quibus omnibus sic peractis idem Illustriss. præhoræ tarditate benedictione solemni prius data reuersus est ad Palat. Episc. associantibus illum Reuerendis Canonicis ac vniuerso Clero, & indixit futuram sessionem eadem die post prandium hora vigesima.

Eadem die hora vigesima idem Illustrissimus & Reuerendiss. Dominus Episcopus cappa indutus vt moris est processionaliter ad Eccles. prædictā accessit & fusis ad Deū precibus mandauit Sec. vt const. Synod. perlegeret, quas pro horis ferè duabus perlegit & publicauit.

Im-

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. S. Pal. Apost.

I. B. Alt. Episc. Cam. Vicesg.

DE mandato à Magistri Reuerendiss. Sacri Palatij Apostolici diligenter euolui Synodum Diœcesanam ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Hieronymo Lanfranchi Episcopo Cauen magna cum diligentia factam, nihilque in ea reperi, quod Fidei Catholicæ, Sacris Canonibus, bonisque moribus repugnet. Imò quæ ad pastoralem vigilantiam spectant ita dilucidè, & distinctè explicantur, vt neque in ea aliquid necessarium desideres, nec superfluum reperias. Quare dignam censeo, quòd ad publicam etiam vtilitatem edatur in lucem, ex Ecclesia Sancti Hieronymi Charitatis de Vrbe die decima Iunij 1639.

Bernardinus Larizza V. I. & Sacra Theologia Doctor, ac Prothonotarius Apostolicus.

Imprimatur,

F. Io: Vinc. Morenus de Mutina Mag. & Socius Reuerendiss. P. M. Sac. & Apost. Palatij.

IN-

INDEX TITVLORVM.

SY-

SYNODVS
DIOECESANA
CAVENSIS
TITVLVS I.
De Fidei Professione.
Cap. I.

CVM Fides sit habitus intellectus à Deo infusus, quo firmiter assentimus his, quæ à Deo sunt reuelata, & declarata, Sanctisque Apostolis promulgata; Sancta Romana Ecclesia inuiolabiliter profitetur, eam esse humanæ salutis fundamentum, tum etiam vniuersæ nostræ iustificationis, sanctificationis, virtutumque omnium originem, radicemque; sine qua, Apostolo, cunctisque Orthodoxis Patribus testibus, Deo placere, ipsiusque filiorum consortes fieri impossibile est: at verò integram illius, inuiolatamque confessionem, ipso etiam cum imminente vitæ discrimine, sicut constantissimè, & firmissimè seruare, perpetuòque tueri, quemlibet æternæ gloriæ, ac immortalitatis cupidum oportet; sic etiam publica illius confessio plerisque ex Sanctæ Sedis Apostolicæ decretis Oecumenicorumque Conciliorum sanctionibus coram locorum ordinarijs præstanda est. Nos igitur, qui ab ineunte ætate Fidei eiusdem Catholicæ, nedum tuendæ, verum etiam propagandæ, ac augendæ summo desiderio flagra-

A nimus,

uimus, de eiuſdem Fidei profeſſione facienda decretum proponendum duximus.

Cap. II.

PRouiſi igitur de beneficijs curam animarum habentibus teneantur poſt adeptam eorum poſſeſſionem infra bimeſtre tempus Fidei profeſſionem emittere in manibus noſtris, vel noſtri Generalis Vicarij, flexis genibus, iuxta formam fel. rec. Pij Papæ IV. traditam, prout infra. obtinentes autem dignitates, & canonicatus, non tantum in manibus noſtris, vel noſtri Generalis Vicarij, verum etiam coram Capitulo eandem Fidei profeſſionem emittant infra tempus ſupradictum præſcriptum, alioquin fructus ſuos non faciant.

Cap III.

QVi publicè, vel priuatim legendi, interpretandi, vel docendi quaſuis litterarias, ſeu cuiuſuis generis liberales artes munus ſuſcepturi ſunt; antequam huiuſcemodi officium obeant, Fidei profeſſionem coram Epiſcopo, aut eius Vicario emittere teneantur, ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis.

Cap. IV.

PArochorum verò munus ſit, vt plebes ſibi creditas inſtruāt, curentque, vt Fidei Catholicæ articulos quilibet vſu rationis pollens intelligat; eos verò explicitè, qui ſolemnizantur ab Eccleſia, præcipuè verò myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, ac Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Cap.

Cap. V.

CVrentque Parochi, vt ægroti mortis imminente periculo per seipsos, siue per alios eorum nomine symbolum Fidei latina, vel vernacula lingua recitent, & profiteantur, vt Deo placere, & Diaboli tentationes, cui resistendum est in Fide, vincere valeant.

Forma Professionis Fidei.

EGo N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet, Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium: Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitnm, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioqne procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutioues firmissimè ad-

mitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis, à IESV Christo Domino Nostro instituta, ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaq; gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis, & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, & realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem vnà cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis; necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

mo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia, à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, & definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, Ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, & voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

TITVLVS II.

De Vsu Librorum.

Cap. I.

PERNICIOSORVM, & falsorum librorum (cum sit quædam perpetua pestis, cui antidotum afferre semper oportet) licet in hac nostra ciuitate, & diœcesi nulla sit ordinaria vendendorum librorum officina, neque librorum impressores; cùm tamen ad eam sæpè se conferant venditores ipsorum præcipimus,

cipimus, & mandamus, vt nullus libros vendere audeat, nisi prius ipsis benè inspectis, visis, & relectis per nostrum Generalem Vicarium, vel alium à nobis pro tempore deputandum, ac cum nouo indice collatis, an libri sint prohibiti, & obtenta à nobis facultate illos vendendi; quod etiam seruari volumus ab alijs tam clericis, quàm laicis, qui libros in prædictam nostram ciuitatem aliunde asportant, infra biduum sub pœna amissionis librorum, & alia nostro arbitrio reseruata.

Cap. II.

HAeredes quicumque vltimarum voluntatum libris à defuncto relictis non vtantur, neque alijs vendant, aut vtendos commodent, nisi prius eorum indicem nobis attulerint, & facultatem obtinuerint, illis tutò vti posse, sub pœna excommunicationis, & librorum amissionis, infra mensem à die obitus testatoris.

Cap. III.

PArochi omnes nostræ Ciuitatis, & Diœcesis sub pœna arbitrio nostro reseruata, curent omninò quamprimum sibi de prohibitorum librorum indice nouo, quem penes se continuò habeant; & infra mensem à die publicationis præsentis constitutionis diligenter inquirere, an aliqui de eorum parochia libros indice prædicto prohibitos, aut suspectos habeant, & si quos inuenerint, nobis statim significent.

Cap. IV.

NVllus apud se libros prohibitos, & damnatos in nouo indice per fel. recor. Clementem Octauum retinere au-

deat

deat, illosque legere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruata: eidem pœnæ subiaceat, qui alios habentes libros prohibitos sciuerit, si non denuntiauerit illos Episcopo, vt in dicta Bulla.

TITVLVS III.

De Prædicatione Verbi Diuini.

Cap. I.

CVM Verbi Dei prædicatio præcipuum munus sit Episcoporum, & aliorum, quibus cura animarum incumbit, quæ valde populo Dei necessaria est, cum sit cibus, spiritualisque animæ alimonia, id quod Sac. Conc. Trid. grauissimis verbis, nobis, & Parochis imposuit, vt gregem dominicum salutaribus documentis copiosè pascamus, & Sacram Scripturam, Diuinamque Legem fideli populo annunciemus, atque interpretemur, prout pro nostro posse facimus: mandamus proindè parochis sedulò inuigilare, vt quas eorum tutelæ Dominus oues commisit, Diuini Verbi prædicatione pascant; & vt commodius id efficiant, præcipimus, vt singulis diebus dominicis, festisque solemnibus à prandio, seu alio opportuniori tempore campanæ signum dent, & populum ad Ecclesiam accitum, maximè verò pueros, cum omni, qua decet, charitate, & diligentia, sacrosanctæ Fidei iuxta interpretationem per catech. Rom. datam instruant rudimentis: cui muneri si defuerint, pœna quinque carolenorum pro qualibet vice mulctentur.

Cap.

Cap. II.

NEmo concionem habeat, qua hora Episcopus concionatur, nisi aliter ipse concesserit, sub pœna in Conc. Vien. à fel.rec.Clem.V. imperata.

Cap. III.

ET quia cuius vita despicitur, eius prædicatio contemnitur; præcipimus omnibus concionatoribus, vt præter litterarum scientiam suos mores, & vitam ita componant, vt alios exemplo ædificent, non destruant; doctrinam sanctam, catholicamque, & sanctum Euangelium prædicent iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Romana Ecclesia, & Sanctorum Patrum authoritas comprobauit. In repræhendendis autē vitijs ita se habeant, vt cuiusque famæ, & honori nominatim, vel circumlocutione nullo pacto detrahant; nec inanes fabulas, & ridicula interponant; sed eorum præcipuus scopus sit vitia redarguere, bonos mores, sanam, orthodoxamque doctrinam inducere, & ad Iesu Christi D. N. eiusque Sanctorum imitanda vestigia cohortationibus, & admonitionibus inflammare.

Cap. IV.

NEminem paupertatis nomine populo commendent absque Episcopi licentia: eleemosynæ verò ad fores Ecclesiæ petantur, vel ita vt sacra concio non impediatur.

Cap. V.

IN diebus Quadragesimæ, dum Verbum Dei in Ecclesia cathedrali prædicatur, omnes apothecæ, & officinæ in Burgo magno

magno claudantur, ſub pœna librarum ceræ albæ elaboratæ vigintiquinque, pijs vſibus applicanda; & ſacra concio Paſſionis D. N. noctu non habeatur, & quocunque anni tempore diurnis horis prædicetur. In concionibus autem audiendis loca virorum, ac mulierum diſtinguantur, vt omnis penitus peccandi occaſio tollatur, & verbum Dei auditorum mentibus firmius inhæreat, & fructuoſius coaleſcat.

Cap. VI.

QVotieſcumque Parochi, vel Magiſtri aliquarum Eccleſiarum cupiunt verbum Dei in eorum Eccleſijs annunciari, licentiam à nobis obtineant, non nominata perſona prædicatoris, quam nobis reſeruamus, ſub pœna excommunicationis, quoad laicos,& ſuſpenſionis à diuinis, quoad Clericos.

Cap. VI.

VLterius præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis concionatoribus (exceptis parochis) vt prædicare non audeant abſque noſtra approbatione, ſub pœna arbitrio noſtro reſeruata: ſi verò regularis fuerit, & prædicare voluerit in Eccleſijs, ſuorum ordinum, licentiam à ſuis Superioribus obtineat, & benedictionem prius à nobis petat; reliquaque ſeruentur, quæ ſuper his Sac. Conc. Trid. decreuit.

Cap. VIII.

MAndamus præterea concionatoribus omnibus, vt vim excommunicationis in vna ſaltem eorum concionum melius viſa, frequenti populo aperiat, & maximè ex retentio-

ne bonorum ecclesiasticorum, adeò quod populi intelligant, quanti ponderis sit excommunicatio, etiam quoad bona temporalia, exemplisque, & rationibus exaggerent, & ad illam metuendam disponant.

Cap. IX.

QVamuis nobis conueniat, diebus Quadragesimæ præsertim, concionibus interesse, decet etiam, vt Canonici omnes similiter semper adsint, cum non mediocre scandalum afferat clericorum indeuotio, & infrequentia in audiendis concionibus; ideò mandamus omnibus nostræ Cathedralis Canonicis, vt quotidie ad concionem conueniant, nisi legitimè fuerint impediti, acri animaduersione transgressores punituri.

Cap. X.

NVllus sacerdos, dum conciones habentur, in qualibet Ecclesia missas priuatas celebrare audeat, sub pœna suspensionis à diuinis eò ipso incurrenda.

Cap. XI.

POstremò præcipimus, & omnino obseruari mandamus, vt qui siue mas, siue fœmina sua culpa ignorat, nec quod edoceatur, vt opus erit, curauerit orationem Dominicam, salutationem Angelicam, fidei symbolum, & decem præcepta Legis ad matrimonium contrahendum non admittatur, nec possit esse patrinus in Baptismo, vel Confirmatione, nec ad quoscunque ordines, etiam ad primam tonsuram recipiatur; si tamen egerit quod in se erit, vt illas addisceret, sed intellectus, aut memoriæ duritie, siue ruditate non perceperit, prædictis pœnis non obstringatur.

TITVLVS IV.

De ſacris Imaginibus.

Cap. I.

CVM antiquiſſimus ſit in Eccleſia Dei, vſus imaginum Chriſti, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, illiſque debitum honorem, & reuerentiam, ab omnibus Chriſtifidelibus impartiendi, non vt credatur ineſſe ijs aliqua diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, vel vt olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honor, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, imò, vt per imagines, quas oſculamur; & quibus caput inclinamus, & pectus percutimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudines gerunt, veneremur. Nè, vnde religionis, pietatis, & morum exempla ſumenda ſunt, ad irriſionem, laſciuiam, & contemptum Chriſtifideles moueantur; præcipimus, nullas in futurum in quibuſuis Eccleſijs, & locis pijs depingi, ſiue apponi imagines, quæ prius à pictoribus delineatæ, nobis, vel noſtro Generali Vicario præoſtenſæ non fuerint, vt ſi quid in illis diſplicuerit, vel pro diuini cultus augumento apponendum placuerit, cenſeamus; quod ſi abſque noſtra licentia aliquas in futurum depictas inuenerimus nouas figuras, & in Eccleſia, aut in alio pio loco collocatas, illæ amouebuntur, & Rector Eccleſiæ, & earum auctor, & qui eas pingi, vel apponi fecerit, pœna ducatorum decem pijs vſibus applicanda multabitur.

Cap. II.

VT enim à communione fidelium ſunt eliminandi, qui Eccleſiç damnant imagines ab Apoſtolorum temporibus introductas; ita etiam grauiter ſunt puniendi pictores, & ſculptores, qui prophanas, & turpes imagines effingunt, aut quæ veritati Scripturarum non ſunt conſonæ; mandamus igitur pictoribus ſub graui pœna noſtro arbitrio reſeruata, ne quid prophanũ, aut inhoneſtum, vel habitu, cultu, aut aliqua corporis parte laſciuum in Eccleſijs pingant: imò hortamur eos, vt ita ſacras imagines effingant, quoad pietatem, & charitatem aſpicientes excitent.

Cap. III.

IN ſculpturis, ſiue ſtatuis Beatiſs. Virginis Mariæ, aliorumq; Sanctorum naturales capilli mulierum non apponantur, niſi artificiales tantum; cunctusque vanus ornatus ab eiſdem remoueatur, ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis.

Cap. IV.

IMagines paruæ Angelorum, vel quorumcunque Sanctorum, quæ laſciuientes magis vanitatem, aut offenſionem, quam deuotionem exhibeant, in Eccleſijs non habeantur.

Cap. V.

SAcroſanctæ Crucis effigiem, ſacraſque alias imagines, ac Sanctorum hiſtorias, ſacrorumque myſteriorum figuras, vel crucis, & paſſionis ſignificationes in nullo quouis pauimen-

to ſilice marmoreo, vel in loco humi poſito etiam extra Eccleſiam inſculpi, pingi, vel effingi volumus.

Cap. VI.

SI quæ ſacræ tabulæ, aut imagines fuerint vetuſtate collapſæ, detritæ, aut conſumptæ; vel renouentur, vel ab Eccleſijs remoueantur, & crementur, earum cineres in ſacrarium demittantur.

Cap. VII.

NOua miracula, quouis modo facta, quamuis certa videantur, à nullo etiam regulari, & exempto publicentur, donec prius nobis fuerint denunciata, vt quod veritati conſonum eſt, ſtatuamus; vbi autem vulgi concurſu, plebiſque rumore aliquid pro miraculo proclamatur, Parochus, vel Eccleſiæ Rector, niſi alia ratione populi tumultui obſiſtere poterit, Eccleſiam claudat, ne falſa pro veris recipiantur, & Parochus ea tolerando comprobare videatur: nobis verò totum ſignificabit, vt donec de veritate miraculi vera habeatur cognitio, vulgi clamores conquieſcant.

TI-

TITVLVS V.

De Reliquiarum ſacrarum veneratione.

Cap. I.

V T ſacris Sanctorum Reliquijs, quî dum viuerent Chriſti membra, & Spiritus ſancti templum fuerunt, quæ debetur veneratio, & cultus tribuatur, & debitè conſeruentur; licet in hac ciuitate, & Diœceſi paucæ reperiantur; hæc tamen ſtatuimus, vt in locis honeſtiſſimis, ac decoris vaſculis, qua debent religione, & reuerentia aſſeruentur.

Cap. II.

QVilibet Eccleſiæ Rector, in qua reperiuntur Sanctorum Reliquiæ, ſcripta, & cuiuſuis generis monimenta ſacris reliquijs affixa, quamprimum accuratè cognoſcat; inueſtiget inſuper, an ex teſtibus, vel alijs antiquis documentis reliquiarum, quas in Eccleſia habet, certam habere valeat cognitionem, & in libro ad id ſpecialiter deputato ſingulas Eccleſiæ ſuæ reliquias certo ordine deſcribat, annotatis etiam in illo ſchedulis, vel monumentis quibuſcunque reliquiarum, cuius copiam ad nos, & noſtram curiam infra menſem tranſmittat.

Cap. III.

INſcriptio Reliquiarum non conſumpta vetuſtate omninò ſer-uetur; quarum verò inſcriptiones corroſæ ſunt, renouentur; ſed priores licet etiam conſumptæ ad oſtendendam antiquita-tem conſeruentur.

Cap. IV.

AD augendam populi deuotionem, & ſacrarum Reliquia-rum venerationem decernimus, vt quando populo oſten-duntur, lumina accendantur, ex loculis verò, ac receptaculis vbi ſunt conditæ ne educantur; nec temerè exponantur om-nium oculis, neuè frequenter, ſed tantum in ſolemnioribus fœ-ſtis, vel quoties id Epiſcopo expedire videbitur, collocentur in Altari benè ſepto, & ornato, cum luminibus continuò accenſis.

TITVLVS VI.

De Repræſentationibus.

Cap. I.

MARTYRVM actiones, & triumphi, ſacræ Scri-pturæ hiſtoriæ, aut etiam Chriſti Domini paſſio, nonniſi maturè, & piè reuiſæ, & conſideratæ re-præſententur, ac de noſtra in ſcriptis licentia, ſub pœna ſcutorum ſex pijs vſibus applicanda.

Cap. II.

Conciones prophanæ in derisum diuini Verbi, & Dei, Sanctorumque contemptum vergentes, sicut etiam comœdiæ, & obscenæ fabulæ, nec publicè, nec priuatim recitentur, maximè sub habitu clericali, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac viginti aureorum pijs vsibus applicandorum; nec clerici cuiuscunque generis in eis intersint, sub pœna scutorum sex pijs vsibus applicanda.

TITVLVS VII.

De Blasphemia.

Cap. I.

DETESTABILE illud blasphemiæ peccatum à Diabolo introductum, vt hic incipiat socios habere, quos in æternum possideat criminis consortes, cupientes omnino abolere, statuimus, vt siquis clericus, vel laicus in tantum malum proruperit, vt Dei nomen, ac Iesu Christi, vel Beatissimæ Virginis Mariæ publicè blasphemauerit, puniatur iuxta

sacros

ſacros Canones, & præcipuè iuxta Bullam Pij V. quæ incipit. Cum primum; ſciantq; Chriſtifideles conceſſam fuiſſe decem annorum indulgentiam à Leone Papa X. reuelantibus publicos blaſphemos.

Cap. II.

CONfeſſarij autem facultatem habentes abſoluendi blaſphemos, abſolutionem illis non impendant abſq; graui pœnitentia, præcipuè ſi eos ſæpius recidiuantes compererint.

TITVLVS VIII.

De Maleficijs, & Superſtitionibus.

Cap. I.

CVRET omninò parochus, vt à fidelium mentibus, & finibus eius parochiæ ſuperſtitiones euellat, & ſi quid in ſua parochia ſuperſtitioſum committi audiuerit, ſtatim ad nos, ſiue ad noſtrum Generalem Vicarium deferat, vt tanto malo opportunis remedijs occurrere valeamus.

Cap. II.

MAlefici, seu incantatores, qui ligaturis, nodis, characteribus, vel verbis secretis, mentes hominum, aut corpora, vel animalium perturbant, morbos expellere, aut ventis, tempestatibus, mari, & igni imperare profitentur, aut alio veneficij genere, tacitè, vel expressè pacta cum Dæmone ineunt, sicut his diabolicis suis artibus homines à cultu Dei retrahere, & Diaboli laqueis alligare conantur, sic ab omni hominum contubernio, & conuersatione debent expelli. Nos talia committentes, aut profitentes excommunicatos, & à Sanctæ Matris Ecclesiæ sinu alienos esse decernimus, & declaramus.

Cap. III.

EAndem excommunicationem incurrant eo ipso res quascumque, ac maleficia parantes, exhibentes, vel ministrantes, maleficia procurantes, vel illis consentientes, vel consulentes.

Cap. IV.

MOneat Parochus populum, vt in ægritudinibus Sacramentorum perceptione se prius Deo conciliet, & medicam deinde artem consulat, superstitionibus omninò reiectis ad animarum perniciem à Diabolo excogitatis; nec in suis actionibus tempora, vel loca obseruent, neque pro deperditis rebus incantationes adhibeant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Cap. V.

SCiant tamen eos, qui ſponſione ſolemni, vel ſimplici pacto, cum Diabolo inito, à Fide Catholica apoſtatando maleficijs, ſortilegijs, incantationibus, & facturis aliquem læſerint, adeo quod mors inde ſequatur, Curiæ ſæculari tradendos eſſe, debitis pœnis puniendos iuxta conſt. fel. rec. Greg. XV. ſi verò infirmitas tantum, vel impotentia coëundi, vel generandi, vel diuortium, vel damnum aliud hominibus, animalibus, frugibus, vel alijs fructibus inferatur, perpetuò is carceri mancipetur, & muro claudatur ex eadem conſtitutione.

Cap. VI.

TAndem hortamur omnes Chriſtifideles nobis à Deo commiſſos, vt Cingaros, & Aegyptios, qui vagantur, vbique euitent, & nullam fidem illis adhibeant, cùm ſint ferè omnes vitijs repleti, nec tantùm rapina viuant, ſed præſtigijs, & multiloquijs ſimplices mulierculas circumueniant, & ſub ſpe futura prædicant.

Cap. VII.

ADmoneant præterea Parochi populum, vt omnem ſuperſtitioſum cultum magnopere deuitent; huiuſmodi eſſe ſolet venam in die Aſcenſionis aperire, pedes abluere, in mari natare, carduos, herbarumque ſemina nocte natiuitatis S. Io: Baptiſtæ colligere, panem ſcriptum alteri dare, ouum Annunciationis, vel Aſcenſionis, vel ſextæ feriæ maioris hebdomadæ reſeruare, reputare omninò verum infantium nimirum primos calceos neceſſario ex lupina pelle eſſe conficiendos, & cætera

huiusmodi superstitiosa; nam qui talia agunt, creatorem suum, & Saluatorem derelinquentes diabolo malorum omnium, & damnationis authori adhærent.

TITVLVS IX.

De obseruatione Ieiunij.

Cap. I.

SACRVM ieiunium, quod in Ecclesia Dei tantopere ab omnibus laudatur, & quod Sacri Canones, & præcipuè Sacrum Conc. Trid. Pastores omnes obtestantur omnem adhibere diligentiam ad fideles populos cohortandos, vt ea, quæ ad domandam carnem conducant, præsertim ciborum delectum, & ieiunium omni studio amplexantes: nos sequentes doctrinam Sanctorum Patrum, ac Concilij prædicti decreta, ieiunium prædictum plurimum populo commendamus, admonentes illud in primis ieiunium magnum, & generale esse abstinere ab iniquitatibus, & illicitis sæculi voluptatibus, & quasi Quadragesimam abstinentiæ nos celebrare cum benè viuimus: ieiunium verò ciborum esse præceptum ab ecclesia, ad quod Christi fideles tenentur.

Cap. II.

ITaque Parochi sæpius inter missarum solemnia populo inculcent vim huius præcepti, ad quod qui tenentur, debent etiam in diebus ieiuniorum abstinere à carnibus, & ab his, quæ à carne originem trahunt, vt sunt oua, latticinia, butirum, & similia: qui verò aliqua de causa ieiunium seruare nequeunt, fidem medici physici nobis, vel nostro Generali Vicario de sua infirmitate adhibeant, vt licentiam obtineant vescendi carnibus.

Hoc etiam in concil. Neap. 1576. et in nonnullis aliis Regni Synodis: ut Averz. 1597. et 1610. Barun. 1675. Melph. 1635 Neap. 1726

Cap. III.

AD dicti ieiunij, & Quadragesimæ obseruationem seruentur quæ in nostro generali edicto pro Quadragesima sunt decreta, eaque inuiolabiliter obseruare præcipimus, & vt ad notitiam populorum deueniant, statuimus quolibet anno in prima Dominica Quadragesimæ inter missarum solemnia publicari in nostra Cathedrali Ecclesia. Formaue edicti hæc est.

SE mai alcun tempo dell'anno ricerca da vn buon Padre sollecitudine, & ricordi, & dal popolo osseruatione, & deuotione; il sacro tempo della Quaresima molto più il richiede. Per questo mossi Noi dall'obligo, e desiderio, che teniamo per ragion del nostro officio, per prouedere alli abusi intorno all'osseruanza de la Quaresima, ricordiamo, & esortiamo alcune altre cose vtili per la salute dell anime, per vigor del nostro Editto da osseruarsi inuiolabilmente.

Primieramente comandiamo, che nessuna persona di qualunque stato si sia in questo tempo della Quaresima habbia ardire di mangiare di veruna sorte, ne oua, ne butiro, latte, formaggio, ne altri cibi qualunque si siano vietati in detto santo tempo della Quaresima.

Et per maggior osseruanza di ciò ordinaremo à tutti i medici di questa Città, ò Diocese sotto pena di santa obedienza, e di scommunica maggiore, che non debbano far fede à persona veruna per il mangiar de'cibi vietati, senza precisa necessità, e con quella eccettione di giorni, che li parerà in coscienza potere tolerare la loro infermità, e complessione; grauando in ciò le cōscienze di ciascun di loro; le quali fedi di medici debbano essere con giuramento della necessità predetta, e fatte poi firmare dal proprio parocho si portino ad alcuni deputati da Noi à dare le predette licenze, le quali son l'infrascritte, videlicet.

Anco ordiniamo, che conforme all'obligo, che tutti hanno sotto pena di peccato mortale ciascuno in ciascun giorno quaresimale, fuori delle domeniche, digiuni, eccettuati quelli, che per l'età, ouero per altra legitima causa sono eccettuati, ouero scusati da quell'obligo per le sacre dottrine.

Che li sopradetti cibi vietati nō si ponghino publicamente in ogni luogo à vendere per vso di ammalati; ma in luoghi, che non si vedano, ne si vendano à bottega tutta aperta, ma sia la maggior parte serrata; ne si vendano sù le piazze, ò strade; & occorrendo necessità di vendere detti cibi, non si possa fare senza licenza in scritto nostra, ne si possano vendere ad ogn'vno, ma solamente à quelli, che hauendo prima portato fede del medico fermata dal proprio Parocho, & altri sopranominati, ne haueranno licenza in scritto.

In oltre vogliamo, che li Osti, Tauernieri, ouero altri, che alloggiano, ò danno da mangiare, nè tenghino, nè vendino, nè ponghino in tauola carne, latticinij, ò altri cibi prohibiti nella Quaresima senza particolare licenza, come di sopra, anzi non cuochino cibi comprati, ò portati da altri, nè permettano, che simili cibi altroue comprati, ò conci si ponghino nelle loro Osterie. quali cose comandiamo siano osseruate sotto pena di libre vinticinque di cera bianca lauorata da applicarsi a luoghi pij, & in sussidio di scommunica maggiore contro li violatori della Sacra Quaresima, & transgressori del presente editto; & oltre

trè di ciò anco d'interdetto dalla Chiesa ad arbitrio nostro, secondo la trangressione, & grauità della colpa di chi contrauenisse.

Esortiamo poi, & preghiamo primieramente, che ogn'vno in questo sacro tempo di Quaresima cerchi di ritirarsi à disciplina più seuera di vita, e di riformarsi a gl'instituti, e costumi conuenienti à detto sacro tempo; che lascino affatto l'inimicitie, gli odij, e rancori, e le risse, e si habbia pace con tutti. Il Christiano procuri di raffrenare gli appetiti carnali, con stretta astinenza di digiuni, penitenze, e discipline.

Di più fugga i ragionamenti vani, e tanto più i lasciui, e scandalosi, & li giochi di carte, e di dadi, & altre sorti di giochi Sarà ciascuno più assiduo all'orationi;& con dolore piangerà li suoi & altrui peccati: ogni mattina cerchi per ogni modo vdir la messa; ogn'vno si sforzi vdir la predica ogni mattina, perche gli è di grandissimo giouamento allo spirito.

In oltre ricordiamo particolarmente all'infermi, & à quelli indisposti, che per causa legitima li è stata concessa licenza di mangiare carne, & cibi prohibiti, che l'vsino moderatamente, & con pietà christiana, nè mangino tali cibi in publico, ò in presenza di tutti di loro casa, ma in luogo separato, e con vn dolore intimo prendano vn si fatto cibo, perche nel tempo, che gli altri digiunano essi non lo possono fare.

In oltre ammoniamo ciascuno à douer' adempire il precetto di Santa Chiesa per tutta l'ottaua della Pasqua prossima sotto la pena solita di scommunica maggiore da incorrersi da ciascuno, che non adempirà subito elasso detto tempo, & ex nunc pro tunc si ammonisce, e cita ciascuno cõtrafaciente, ac vnica pro trina monitione præmissa, à vedersi dichiarare scommunicato, & affigersi contro di lui li soliti cedoloni; il primo lunedì dopò l'ottaua predetta, senz'altra citatione.

Di più sotto la medesima pena di libre 25. di cera bianca lauorata applicanda vt supra, & in subsidium iuris excommunicationis si ordina à tutte, e qualsiuoglia persona, che tengono

fon-

fondacó, ò bottega nel Borgo di questa Città, le quali sentendo la campana della predica, & andar' il campanello per detto Borgo conforme il solito, debbiano serrare vna porta del loro fondaco, ò bottega.

Finalmente esortiamo, & ammoniamo tutte le persone, che essendo questo tempo quaresimale tempo di penitenza, ciascuno coll'obligo, che hà di astenersi da cibi vietati, si astenga insieme da ogni sorte di delitie, & sopra tutto fugga il peccato, & l'occasione di esso; & essendo questo tempo accettabile, & giorno di salute, ciascun operi, & con ogni maggior studio si sforzi piacer'à Dio, e di fare la sua santissima volontà, spogliarsi de' vitij, & essercitarsi nelle virtù, & opere christiane. Speriamo, che ogn'vno non perderà tempo, ma attenderà ad accumularsi gratie, e meriti di vita eterna. In quorum, &c. Dat.

Cap. IV.

IEiunij præcepto obstringuntur omnes Christifideles cunctis Quadragesimæ diebus præter Dominicas, ac etiam vigilijs (Epiphaniæ; & Ascensionis D. N. Iesu Christi, ac Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi exceptis) Sanctorum Apostolorum, Sancti Laurentij, & Pentecostes, ac etiam in quatuor anni temporibus feria quarta, sexta, & sabbato. Excipiuntur ab obligatione ieiunij infirmi, mulieres prægnantes, pueri vsque ad vigesimum primum ætatis annum completum, & senes maximè à sexagesimo ætatis anno, nisi robur vitæ aliud suadeat.

TI-

TITVLVS X.

De Festorum obseruatione.

Cap. I.

CVM festorum obseruatio, quæ ortum habet à iure diuino, principaliter sit instituta, vt Christi fideles in illis ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes vehementius excitentur, verbo Dei, missæ sacrificio, cæterisque orationibus incumbant, & pijs misericordiæ operibus Dei clementiam, & pietatem impetrare nitantur; ipsosque dies integros ad Dei laudem, & gloriam, ac suam ipsorum salutem impendere studeant; statuimus, & districtè præcipimus, dies festos ab Ecclesia indictos, vel de consuetudine seruari solitos ab omnibus Christifidelibus nostræ diœcesis honore debito custodiri, vtque missas integras audiant; nisi aliquo legitimo impedimento detineantur, eos hortando, vt dominicis diebus earum parochiales Ecclesias frequentent, atque à quocunque opere seruili abstineant, nisi necessitas, aut pietas aliud suadeat, in quibus casibus adhuc est petenda licentia, nec propria authoritate id sibi vsurpent.

Cap. II.

PRohibita verò opera seruilia in festis sunt, videlicet manuale quodpiam opus agere, laborare, negotiari, vendere, emere, onera imponere, vel deponere, arbores incidere, vel vestes suere, arare, fodere, seminare, metere, vindemiare, piscari, molere, telas dealbare, vel irrigare, iudiciales actus exercere, iura-

menta recipere, comitia, seu parlamenta conuocare, circulatorum ludicra facere, mercatus, siue emporia, contractus, siue instrumenta, & alia huiusmodi peragere; si quid autem in aliquo præmissorum, aut similium delinquere deprehensus fuerit, rerum venalium, animaliumque amissione iuxta const. fel. rec. Pij V. necnon carolenorum quinque pœna mulctetur, vel aliàs arbitrio nostro puniatur.

Cap. III.

EA verò, quæ quotidiano victui sunt necessaria, vendere permittimus post duas missas in nostra Ecclesia Cathedrali celebratas, intra tamen officinam, & cum ostiolo, siue media porta patenti; in magnis verò festiuitatibus nimirum Natiuitatis D.N. Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Epiphaniæ Domini, Assumptionis Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum nihil omninò, nec etiam comestibile vendi licebit, (præter ea quæ ad ægrotorum pertinent curationem) cùm pridie illorum dierum populus sibi ad victum necessaria commodè parare possit.

Cap. IV.

EXecutiones verò personales, vel reales his diebus nullo pacto, prætextuque in causis ciuilibus fiant sub pœna excommunicationis, etiam pro fiscalibus solutionibus iuxta decretum fel. record. Pij V. in Vrbe emanatum. Cum experientia perceperimus homines huiusmodi vexationis metu à conueniendo in Ecclesijs deterreri, & præcepto audiendi missas non satisfacere.

Cap.

Cap. V.

MErcatus, siue emporium, quod singulis sabbathis fieri solet in burgo magno huius Ciuitatis Cauæ, propter exteros diebus festiuis permittitur post celebrationē saltem primæ missæ nostræ Cathedralis; nisi contigerit in die Natiuitatis Domini, quo casu die præcedenti fieri debet.

Cap. VI.

CIrculatores, & huius generis nebulones ridicula, aut vana spectacula per plateam frequenti populo non exhibeant diebus festiuis, sextis ferijs, Quadragesimæ, & Aduentus, nec in conspectu nostræ Cathedralis Ecclesiæ sub pœna librarum ceræ albæ vigintiquinque, aliaque nostro arbitrio reseruata.

Cap. VII.

PAuperes, & artifices; qui in diebus ferialibus ferè semper occupantur in eorum laboribus, permittimus diebus festiuis contractus etiam cum iuramento conficere, ex decreto Sacræ Congregationis sub die 26. Iunij 1590. Episcopo Gallicano in hæc verba. Li poueri che in giorni feriali sono fuori per la campagna per lauoro, possano li giorni festiui dopò l'officij fare i loro contratti.

Quæ Sacra Congregatio aliàs fecit declarationes pro diebus festiuis prout infra.

Congregatio Concilij censuit licere diebus festis dare operam rebus ad vitam necessarijs, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, ac messium, & recollectionis fructuum, vel vbi necessitas vrgeat, aut pietas suadeat.

Cæterum quoniam verendum est, ne priuatis affectibus, domesticarumquè rerum studio, alioqui eò perducantur, vt hac sacrorum Canonum Indulgentia in alijs etiam casibus abutantur; ijdem Patres Illustrissimi adijciunt, ad Ordinarij cuiusquè censuram pertinere, vt dignoscat num verè vlla ex causis supradictis subsit propter quam liceat diebus festis seruilibus vacare, vt nec dierum festorum obseruantia vlla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur 21. Mar. 1601. Hier. Cardinalis Matthæius.

Et aliud decretum, vt infra. Al Vicario d'Andria 16. Agosto 1693. Si permette, che si vendano nelle feste cose comestibili nelle botteghe con il portello corrente, & il fenestrino aperto, e ciò auanti la messa conuentuale, e dopo il vespro. Li Spetiali, e quelli che vendono herbe, frutti, pesci, & vcellami, possono vendere à tutte l'hore. Et infra.

Al Vescouo di Monopoli alli 15. di Febraro 1595. Ne i giorni di festa li macellari, & altri artigiani per lo vitto humano possano vendere col fenestrino della bottega aperto, la mattina fino all'hora della messa conuentuale, e predica; ma dopo astenersene per quanto durano li diuini officij. Li molinari del grano, e dell'oliue possano macinare in giorno di feste dopo le messe, e nel medesimo tempo si può mettere dentro la Città grano, e vettouaglie.

Cap. VIII.

Caueant omninò Parochi, vt abusus, & corruptela sub specie consuetudinis, quæ diu in hac Ciuitate inoleuit, vt puellæ nubiles non audiant missam, tollatur, & penitus aboleatur; consulantque matribus familias, tutoribus, & curatoribus, ne permittant filias, & puellas sub eorum tutela missæ sacrificium omittere, ad quod de præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ cum tanta animarum vtilitate tenentur, & tempus turpiter in speculis,

lis, & fenestris consumere: quod quidem nonnunquam multorum malorum in Christiano populo rudi, ac humili seminarium extitit; renitentibus verò hoc salubre consilium adimplere absolutio in confessione denegetur, donec Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto obtemperauerint.

Cap. IX.

SCiant præterea, præceptum obseruationis festorum currere à media nocte antecedente diem festum, vsque ad mediam noctem subsequentem. Dies verò festiui de præcepto quinam sint in hac Ciuitate, & Diœcesi, quiuè ad deuotionem, vt omnibus innotescant; Kalendarium subsequens transcribi præcepimus.

IANVARIVS.

1 Circuncisio Domini.
6 Epiphania Domini.
17 Antonij Abbatis ad deuotionem.
20 Fabiani, & Sebastiani mart.
25 Conuersio S. Pauli ad deuotionem.

FEBRVARII.

2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
3 Blasij Episcopi, & Mart.
24 Matthiæ Apostoli.

7 Thomæ de Aquino.
12 Gregorij Papæ, & Confess. ad deuotionem.
19 Ioseph Confess.
20 Ioachim Confess. ad deuotionem.

Bene-

21 Benedicti Abbatis ad deuotionem.
25 Annunciatio B. Mariæ Virginis.

A P R I L I S.

2 Francisci de Paula Confessoris.
25 Marci Euangelistæ.

M A I V S.

1 Philippi, & Iacobi Apost.
3 Inuentio S. Crucis.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli ad deuotionem.
16 Liberatoris Episc. & mart. ad deuotionem.
17 Restituta Virgo, & Martyr ad deuotionem.

I V N I V S.

11 Barnabæ Apostoli ad deuotionem.
13 Antonij de Padua.
15 Viti, Modesti, & Crescentiæ.
24 Natiuitatis S. Io: Baptistæ.
29 Petri, & Pauli Apostolorum.
30 Commemoratio S. Pauli Apostoli ad deuotionem.

I V L I V S.

2 Visitatio B. Mariæ Virginis.
10 Felicitatis ad deuotionem.
16 S. Mariæ de Carmelo.
22 Mariæ Magdalenæ ad deuotionem.
25 S. Iacobi Apostoli.
26 Annæ Matris B. Mariæ Virginis.

AVGVSTVS.

1 Petri ad vincula ad deuotionem.
4 Dominici Confeſſoris ad deuotionem.
5 Mariæ ad Niues ad deuotionem.
6 Transfiguratio Domini.
10 Laurentij Mart.
15 Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
20 Bernardi Abb. ad deuotionem.
25 Bartholomæi Apoſtoli.
28 Auguſtini Epiſc. & Confeſſ. ad deuotionem.
29 Decollatio S. Io: Baptiſtæ ad deuotionem

SEPTEMBER.

5 Conſecratio Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis.
8 Natiuitas B. Mariæ Virginis.
14 Exaltatio S. Crucis ad deuotionem.
17 Stigmatum S. Franciſci ad deuotionem.
19 Ianuarij Epiſcopi, & Martyris.
21 Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
29 Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.

4 Franciſci Confeſſoris.
18 Lucæ Euangeliſtæ ad deuotionem.
28 Simonis, & Iudæ.

NOVEMBER.

1 Feſtum omnium Sanctorum.
2 Commemoratio omnium defunctorum ad deuotionem.

Caroli

4 Caroli Episcopi, & Confess. ad deuotionem.
11 Martini Episcopi, & Confessoris.
21 Præsentatio B. Mariæ Virginis ad deuotionem.
25 Catharinæ Virg. & mart. ad deuotionem.
30 Andreæ Apostoli.

DECEMBER.

6 S. Nicolai Episcopi, & Confessoris.
7 Ambrosij Episc.& Confess. ad deuotionem.
8 Conceptio B. Mariæ Virginis.
13 Luciæ Virginis, & mart.
18 Adiutoris Episc. & mart.
21 Thomæ Apostoli.
25 Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi.
26 Stephani Protomart.
27 Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.
28. Sanctorum Innocentium.
30 Siluestri Papæ.

FESTA MOBILIA.

Omnes dies Dominicæ totius anni.
Dies Iouis Sancti.
Feria secunda, & tertia post Dominicam Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Feria secunda, & tertia post Dominicam Pentecostes.
Sanctissimi Corporis Christi.

Festos dies ad deuotionem custodientibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta perpetuò concedimus.

TITVLVS XI.

De Sacrosanctis Ecclesijs, earumque immunitate.

Cap. I.

QVONIAM domum Dei decet sanctitudo, decet etiam vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debitâ veneratione pacificus: Propterea præcipimus, vt ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, Deo grata, & inspicientibus placida, omnes deuotis orationibus insistant, genibusq; flexis sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum adorent, ad nomen Domini Nostri Iesu Christi, eiusque Beatissimæ Virginis Matris Mariæ reuerenter caput inclinent, & nemini liceat dum sanctissimum, & tremendum missæ mysterium peragitur, verbum Dei prædicatur, & horæ canonicæ recitantur in Ecclesijs spatiari, & deambulare: prohibemus etiam in eis vana, & prophana eloquia, seditiones, tumultus, sæculares conuentus, iudicia, strepitus, comessationes, clamores, puerorum scholas, mulierum in defunctorum officijs voces, planctus, & eiulatus; cum mulieribus suspectis colloqui, vel aliud huiusmodi facere; qui verò in prædictis, aut aliquo ipsorum delinquere deprehenduntur pœna vigintiquinque aureorum mulctetur, & alia nostro arbitrio reseruata iuxta institutum Pij V. puniatur.

Cap. II.

IN Ecclesijs ita fideles sedeant, vt sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum à tergo non habeant; altaribus non incumbant, vel super illa aliud faciant, vel scribant, nec fontibus aquæ benedictæ inhæreant, nihil à quoquam ante fores Ecclesiæ præcipuè in atrio venale proponatur, & pauperes non intra Ecclesias, sed ante earum fores eleemosynas quærant, qui in ijs deliquerit, primò à sacerdotibus illius Ecclesiæ benigne corripiatur, si verò pertinax fuerit ab Ecclesia expellatur, si id obtineri non poterit deferatur ad Episcopum.

Cap. III.

ALtaria omnia sint lapidea, & concauitates, & foramina pro reliquijs recondendis habeant. Altare portatile sit congruæ magnitudinis non ligneum, sed lapideum saltem sigillum, ita quod lapis continere possit hostiam, & calicem; id verò sic in altari inseratur, vt nihil prorsus ab eo emineat, quo effusionis pericula euitentur.

Cap. IV.

IN vnoquoque altari sit suppeditaneum scabellum, (quod bradellam vocant) ligneum cum regula in fronte eiusdem longitudinis cum altari, latitudinis palmorum duorum, habeantque omnia ornamenta necessaria ad missarum celebrationem, nimirum mappas, candelabra, secretorum tabellam, pallium, pulpillum, & crucem, sub pœna interdicti ipsius altaris.

Cap.

Cap. V.

ARmariolum, siue saltem fenestrella, prope altare, à cornu epistolæ constituatur in pariete transuersali tabula, aut lapide distinctum ad peluim cum vrceolis reponendam.

Cap. VI.

MAndamus insuper quod de cætero in Ecclesijs non ædificentur altaria, quæ non distent ab alio altari saltem per decem palmos, ne cum diuina in eis celebrantur vnus alium perturbet. In Ecclesijs verò vbi hactenus propiora ædificata reperiuntur, mandamus missas non simul in eisdem altaribus vno, eodemque tempore celebrari ad similes perturbationes euitandas sub pœnis nostro arbitrio reseruatis.

Cap. VII.

ET ad euitandum non tantum irreuerentiam, sed scandala, & pericula mandamus Reuerendis Parochis, & alijs, ad quos spectat quatenus nullo modo ad domos quibuscunque Ecclesijs, vel cappellis contiguas, mulieres sub quouis prætextu intrare permittant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tam mulieribus, quàm permittentibus.

Cap. VIII.

ITem sub eadem pœna excommunicationis præcipimus, ne quis ad organa ascendat, præter cantores, & qui organum pulsat, præsertim cum diuina celebrantur, in quibus organis ipsis vti necesse est.

Cap. IX.

SVbsequenter mandamus omnibus, & quibuscumque personis, tam ecclesiasticis, quàm laicis, vt intra ecclesias nullum opus seruile conficere præsumant, nisi pro commodo, & necessitate earundem Ecclesiarum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Item præcipimus, ne ante fores Ecclesiæ in sedibus, vel scamnis laici, vel presbyteri sedeant diebus festiuis nec etiam in diebus ferialibus, dum sacra peraguntur, ac diuina officia celebrantur, ne honestæ mulieres ob pudorem à frequentia ipsarum ecclesiarum retrahantur sub pœna librarum ceræ vigintiquinque pijs vsibus per nos applicanda, & in subsidium iuris, excommunicationis.

Cap. X.

POstremò ad omnem irreuerentiam tollendam hac synodali constitutione sancimus, & præcipimus, ne quis in posterum audeat prope Ecclesias, vel Monasteria præsertim monialium, saltem per quadraginta passus, vanas canere cantilenas, vel quæcumque instrumenta musica pulsare sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Cap. XI.

AMoueantur omnino ab Ecclesijs vigiliæ nocturnæ, atque pernoctationes; nisi sit solemnis dies, Ecclesiæ fores semper teneantur clausæ, nec alijs diebus reserentur, nisi cum diuina officia celebrantur, ab aurora scilicet vsque ad meridiem, & à primo Vesperæ signo vsque ad completorium inclusiuè, in vigilijs item maiorum solemnitatum vsque ad pulsationem salutationis Angelicæ de serò, quod etiam seruari volumus in maiori hebdo-

hebdomada pro confeſſionibus audiendis. Idem etiam ſeruetur cum in aliqua Eccleſia publicè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponitur pro quadraginta horarum oratione, nam poſt pulſatam ſalutationem Angelicam mandamus idem ſanctiſſimum Sacramentum reponi in capſula cuſtodiæ, & iterum in aurora ſequentis diei publicè exponi, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

Cap. XII.

MAgiſtri Eccleſiarum, vel alij quicunque non audeant ſua authoritate aliquid noui in Eccleſijs ædificare, vel pingere, ſeu ædificari, vel pingi facere, aut feneſtras de nouo aperire abſque noſtra, vel noſtri generalis Vicarij expreſſa licentia, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nec nouas cappellas, aut oratoria ædificare ſiuè erigere, vel alijs concedere ſub eadem pœna excommunicationis.

Cap. XIII.

NOn permittantur feneſtræ proſpicientes intra Eccleſiam, & ſi quæ ſunt infra menſem fabrica obſtruantur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs noſtro arbitrio reſeruatis. In cappellis verò tam intra Eccleſiam, quàm in ijs, quæ ſunt extra Eccleſiam non reponantur ligna, cæmenta, ſaxa, aut alia prophana, & maximè columbi ſub eadem excommunicationis pœna, niſi quæ ad vſum Eccleſiæ pertinent.

Cap.

Cap. XIV.

ECclesiæ collapsæ, vel ruinam minantes sumptibus parochianorum, si sunt parochiales, reficiantur; patronatę verò sumptibus patronorum, & his deficientibus sumptibus cappellanorum; & si dotem non habeant, vel sit adeò tenuis, vt non sufficiat (si tamen eorum culpa non corruerunt) seruetur decr. Sacri Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de reform. Lapides verò, cæmenta, & omnis eorum locorum materia absque Episcopi authoritate ad ædificia prophana non adhibeantur. In Ecclesijs autem dirutis, ad vsumque prophanum conuersis Crucis insigne figatur ex Trid. Conc. sanctione quod signum facile amoueri non queat.

Cap. XV.

ET ne sacra prophanis misceantur parietibus Ecclesiarum, nihil immundum, aut prophanum adhæreat; nec iuxta ipsos parietes etiam extra Ecclesiam naturæ necessaria peragantur, nec quicquam prophani in eis intromittatur, sed mundæ, & dealbatæ conspiciantur. Tectum non sit pluuiosum; pauimentum sit integrum, & æquale, & pro sepeliendis mortuis non deformetur, & patroni Ecclesiarum, & sepulchrorum respectiuè infra mensem accommodent, quæ refectione egent, & fenestræ habeant specularia vitrea, vel saltem ex tela linea incerata vt vocant, & quælibet Ecclesia Sacrarium claue occlusum habeat, vbi lotiones rerum sacrarum infundantur sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. XVI.

VEstes, vasa, vel alia ornamenta sacris adicta, aut vnumquodq; ex sacra supellectili prophanis hominibus, aut ad

pro-

prophanum vſum nullus accommodare præſumat ſub pœna ſuſpenſionis quo ad clericos, & excommunicationis quoad laicos.

Cap. XVII.

SEpulturæ locum, aut cappellam quouis nomine Rectores, vel Magiſtri Eccleſiarum cuique concedere non audeant ſine licentia in ſcriptis noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij ſub pœna excommunicationis, & nullitatis conceſſionis eo ipſo. Sepulturæ prope altaria non fiant, niſi tàm longè ab altari diſtent, vt os ſepulchrale, à ſcabello, ſeu bradella altaris ſpatio trium cubitorum procul abſit; quæ autem propius iam extructa ſunt amoueri obſtruiuè decernimus.

Cap. XVIII.

SVper operculis ſepulchrorum etiam marmoreis non ſculpatur Chriſti, nec alia ſacra imago, & quæ reperiuntur ſculptæ abradantur ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata.

Cap. XIX.

SEdes, & loca Canonicis, aut quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis deputata diuinorum, ſacrorumque concionum tempore laici non occupent, nec cum illis in choros ſedeant ſub pœna excommunicationis.

Cap.

Cap. XX.

SVper maiori altari, ac super fonte baptismali eiusdem Ecclesiæ vmbella apta, & bene ornata conficiatur infra trimestre sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. XXI.

CVm in Ecclesia Dei ad ipsam conseruandam, ne scindatur, vnitas seruari debeat, mandamus, vt altaria super quibus immaculati agni Christi Domini Corpus, & Sanguis in sacrificium incruentum offertur sint æqualis, & congruæ mensuræ, videlicet longitudo eorum mensæ saltem palmorum septem, altitudo quatuor cum dimidio inclusa bradella, latitudo videlicet palmorum duorum cum dimidio, & tantò magis, quantò gradus lignei pro candelabris occupauerit altaria, quæ sint instructa saltem tribus tobaleis, siue linteaminibus, & superius retijs, & redimiculis sit ornata.

Cap. XXII.

CLaues Ecclesiæ, vel à Rectore, vel ab aliquo clerico bonæ vitæ, & famæ seruentur, qui nec tradat alicui maximè noctis tempore absque Rectoris expressa licentia; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbitrarijs.

Cap. XXIII.

MAndamus in nostra cathedrali Ecclesia, ac alijs parochialibus nostræ Diœcesis, vt in eleuatione corporis Christi, & calicis in missa maiori, campanæ grandioris signum detur,

detur; vt fideles, qui sacrificio non intersunt adorent, passionis Christi recordentur, gratias agant, precesq; Deo effundant; qui verò missæ adstant magis ad pietatem excitentur.

Cap. XXVII.

MAne die incipiente, & iterum circa medium diem, iterũq; vesperi Sole occidente in qualibet Ecclesia triplici sonitu pro qualibet vice campana maior pulsetur ad Salutationem Angelicam, siue all'Aue Maria, vt vulgo dicitur; quò fideles sæpius orent, & de Incarnationis Dominicę beneficio gratias agant; atque iterum circa primam noctis horam idem signum detur pro fidelium defunctorum animabus oratione iuuandis.

Cap. XXVIII.

VT fidelibus innotescat hora missarum præcipimus Rectoribus, & Sacristis parochialium, aliarumque Ecclesiarum vt ante vltimam missam tam in diebus festiuis, quàm in ferialibus postpulsatas campanas pro missa dentur in aliqua particulari campana decem ictus; qui sint signum vltimæ missæ, & pulsata eadem campana, ne audientes decipiantur post dictos ictus expectetur ad minus per octauam horæ partem, & tunc celebretur missa.

Cap. XXIX.

IN Sabbato sancto seruetur omninò decretum Leonis Papæ X. videlicet nullus etiam Regularis pulset campanas quousque eas pulsauerit nostra Cathedralis Ecclesia sub pœna scutorum centum in dicto decreto contenta.

Cap. XXX.

QVamuis multa pro Ecclesiarum immunitate Sacri Canones, & Generalia Concilia decreuerint, ac salubriter sancita reperiantur; fel.rec.tamen Greg.XIV. celebri illa sua constitutione. Quæ incipit. Cùm aliàs, omnia supradicta immunitate sparsim decreta ad vnam tantum formam redegit; quamobrem dictam constitutionem inuiolabiliter seruari volumus, & proinde hortando præcipimus, vt nullus laicorum cuiusuis gradus, præeminentiæ, officij, aut dignitatis existat, libertatem, & immunitatem Ecclesiarum, siue Ecclesiasticarum personarum audeat aliqua ex parte lædere, vel quouis prætextu, aut quæsito colore infringere, tam in extrahendo aliquem reum ab Ecclesijs, Monasterijs, alijsque pijs, & immunibus locis, quàm etiam in arrestando, processando, aut fiscalibus, siue laicalibus oneribus, exactionibus, aut impositionibus, tallijs, vel collectis, directè, vel indirectè, quasuis ecclesiasticas personas grauando, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, in quam excommunicationem volumus etiam incurrere quoscunque ad id consilium, auxilium, fauorem, aut mandatum dantes. In casibus verò in eadem constitutione permissis extrahendi aliquem ab Ecclesia, seruetur ordo in dicta constitutione appositus sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ, quæ excommunicatio est reseruata Papæ, ex decreto Sac. Congreg. Episcopo Tropien. 9. Octobris 1618.

Cap. XXXI.

ET vt debita reuerentia præstetur Ecclesijs, quæ sunt domus Dei; & vt propheta canit. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Cùm sæpissime comperimus confugientes ad Ecclesias pro Asilo, illis taliter abuti, vt cum lectis intra easdem Ecclesias dormiendo, cucinas, & comessa-

messationes faciendo; ita ut potius tabernæ, quàm Ecclesiæ videantur, districtè præcipiendo mandamus, vt nullus cum lecto resideat in Ecclesia, neque cum armis, nec in ea cibos coquat, nec aliquid indecens, aut profanum peragat, nec sacerdotes in diuinorum officio quouis modo impediat, vel perturbet, nec populum terreat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & bonorum, & armorum amissionis.

Cap. XXXII.

NVllus Ecclesiasticus sæcularis, vel regularis vltrà triduum bannitos, aut facinorosos homines confugientes in Ecclesia detineat, sed illos moneat, quod infra dictum terminum inde exeant, alias ad nos deferant, vt contra dictos prædictos vtamur remedijs nobis à Sac. Congregatione concessis ex litteris dictæ Sacræ Congregationis, sub die 1637.

Cap. XXXIII.

STatuta, & ordinationes quascunque contra ecclesiasticam libertatem penitus annullamus, & irritamus; qui autem fuerint authores, promulgatores, fautores, suggestores, si particulares personæ fuerint excommunicationis; si Communitates, & collegia interdicti pœnam ipso facto incurrant; eandemque excommunicationem incurrant officiales laici, capitanei, iudices, actuarij, & ministri, qui clericos, aut laicos capiunt, vel capi faciunt, cum sibi in conscientia constet esse veros clericos, & sic captos in suis carceribus detinent, non animo ad nos remittendi, & statim consignandi ministris Ecclesiæ, vel illis habitum, vel bullas auferunt.

Cap. XXXIV.

CONtra eandem libertatem esse comperitur cum Notarij, Scribæ, & actorum Magistri cum pro verificandis excessibus testes examinent, & cum testes nominent aliquem clericum ipsi in actis clericum non nominant, & in examine non scribunt, sed vt laicum, & absque illa qualitate ponunt ex quo vltra falsitatem, maximum, & ecclesiasticæ iurisdictioni, & Ecclesiasticorum immunitati detrimentum afferunt cùm per ambages deinde, & partium sudore, & expensis probandum est illud quod iam probatum foret, qui omnes incurrunt in excommunicationem in Bulla Cœna Domini contra ecclesiasticam libertatem perturbantes, & ad laicale forum trahentes, id quod magnopere aduertere debent Confessarij; vt huius professionis viros in principio suarum confessionum de hoc scelere, vt tali peste coinquinatos à se repellant, & ad Sanctam Sedem Apostolicam remittant.

Cap. XXXV.

ET quia experientia comperimus exactores gabellarum, tam macinæ farinæ, siue frumenti, quàm carnis vaccinæ, & suinæ, ac piscium, casei, olei, ac cæterorum huiusmodi persæpe negare ecclesiasticis personis ratam impositam pro dicta gabella, incidendo in censuras ecclesiasticas à Sacris Canonibus, & præsertim à Sac. Conc. Trid. impositas, cum maxima suarum animarum iactura; mandamus quod deinceps caueant, ne quid huiusmodi solutionum in totum, vel in partem ab hominibus Dei seruitio mancipatis, quantum ad bona ecclesiastica, & eorum personas cum famulis, & patrimonia attinent, quidquam exigere, vel extorquere audeant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: & quando plerique quod palam facere prohibentur, clam, & indirectè ecclesiasticis personis subtrahunt eadem excommunica-

nica-

nicationis pœna innodamus eos, qui venalia in foro exhibentes quicquam clericis deterius, prolatius, aut carius vendunt, hoc ducti peruerso animo, quod illi à solutione gabellarum sunt immunes.

TITVLVS XII.

De iuribus, & rebus Ecclesiæ non alienandis.

Cap. I.

CENSVS, & redditus Ecclesiæ, qui ad Dei ministrorum substentationē deseruiunt bona Dei censentur, ideò in ipsorū occupatores, ac detentores censurarum gladio vltore est insurgendum, quo ad hoc in memoriam reuocantes pœnas à Sac. Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. de reformat. inflictas, cuius verba hic inserenda curauimus.

Si quem Clericorum, vel laicorum quacunque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis sæcularis, vel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumque piorum locorum, iurisdictiones bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, & emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu, etiā per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios vsus

vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit; seu impedire, ne ab alijs, ad quos iure pertinent percipiantur; is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione suppositæ personæ, peruenerint, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue beneficiato integrè restituerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit etiam iurepatronatus, vltra prædictas pœnas eò ipso priuatus existat, clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit eisdem pœnis subiaceat; nec non quibuscunque beneficijs priuatus sit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarij arbitrio suspendatur. Ijs de causis cum ad conseruationem bonorum Ecclesiæ omnes inuigilare teneamur, parochis, cæterisque concionatoribus mandamus, vt sæpius populo frequenti in Ecclesijs decretum prædictum repetant vulgari sermone vim eiusdem decreti, & censurarum explicando, vt ille sic perterritus à tam damnabili, & nefario scelere abstineat.

Cap. II.

QVoniam Ecclesia nostra cathedralis reperitur in antiquissima, & pacifica possessione temporalium iurisdictionum in hac Ciuitate, & Diœcesi Cauensi, ac quam plurimorum iurium ex Regijs donationibus confirmatis à diuersis Summis Pontificibus; cupientes quantum cum Deo possumus iurisdictiones, & iura prædicta, vndique sarcta, tecta conseruare, illaque ad Dei gloriam, & ipsius Ecclesiæ beneficium tueri, Sacrorum Canonum, Tridentinæque Synodi decreto, ac cæteris Apostolicis sanctionibus inhærentes, districtè præcipiendo mandamus, ne quis in posterum cuiuscunque sit gradus, officij, præeminentiæ, aut dignitatis, prædictas temporales iurisdictiones, siue iura

quæ-

quæcumque, & feudalia, aut emphiteotica præfatæ nostræ Ecclesiæ, violare, lædere, vsurpare, & occupare, aut quoquo modo in totum, vel in partem, quouis quæsito colore, vel prætextu, directè, vel indirectè, per se, vel per alios diminuere, seu infringere præsumat; vel impedire, ne ab alijs, ad quos pertinent exerceantur, aut percipiantur, qui verò contra fecerit, aut ad id mandatum, consilium, auxilium, fauorem, suffragium, aut votum tacitum, vel expressum dederit, anathemati eousque subiaceat, donec in præfatæ Ecclesiæ præiudicium attentata quæcumque reuocauerit, siue vsurpata integrè restituerit, & absolutionem deinde à Sancta Sede Apostolica obtineat.

Cap. III.

QVicumque instrumenta, & alias cuiusuis generis scripturas ad Ecclesiam nostram cathedralem, vel ad alias quancumque, aut loca pia pertinentia ad præsens detinet, infra duos menses, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis, & Ecclesiarum Rectoribus ad quos spectant significare, teneantur.

Cap. IV.

BOna quæcumque stabilia, quæ sunt supposita censibus, & redditibus tam dictæ nostræ cathedralis, quàm aliarum Ecclesiarum, aut piorum locorum nostræ Diœcesis, deinceps non alienentur, nisi facta mentione in instrumento alienationis de censu, ac ipsius quantitate, & cui Ecclesiæ, vel pio loco sunt redditiția, & capitale census remaneat penes emptorem, nec alienentur pro franchis, & sine onere vbi census adest, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; qua etiam pœna teneantur tam Notarius, siue Tabellio, qui confecit instrumentum, quàm

quàm venditor,& emptor,siue donatarius. Qui debent certiorare Rectorem illius Ecclesiæ, ad quam census pertinet infra mensem ad hoc, vt omnia notentur in libro Ecclesiæ pro conseruatione censuum, & iurium ecclesiasticorum.

Cap. V.

QVæcumque bona etiam emphiteotica, tam dictæ nostræ cathedralis, quàm quarumcumque aliarum Ecclesiarum vel piorum locorum nostræ iurisdictionis, nullo modo alienentur, commutentur, vel dotis, aut soluti nomine transferantur absque nostra expressa licentia, & tunc non nisi causa cognita an in euidentem cedant vtilitatem Ecclesiæ, quæ si duodecim vnciarum valorem non excedant à nobis, sin autem ab Apostolica Sede assensum obtinere oportet; quæ autẽ hactenus alienata reperiuntur, illorum emptores, siue possessores infra duos menses exemplum authenticum alienationis in bergameno scriptum exhibere nobis teneantur, vt & laudemij iura soluere, & necessarium assensum, vbi deest impetrare valeant, sub pœna deuolutionis ipsorum bonorum, & in subsidium iuris excommunicationis; sub qua etiam pœna Notarij deinceps à contractibus huiusmodi penitus abstineant absque nostra in scriptis licentia, & nihilominus alienatio quocumque modo facta nullius sit roboris, & momenti, iuxta constit. Ambitiosè, de rebus Eccles. non alienan.

Cap. VI.

PArochi omnes, necnon piorum locorum Rectores, & administratores, infra tres menses à præsentium publicatione teneantur suarum Ecclesiarum, altarium, oratoriorum, montium pietatis, Confraternitatum, Hospitalium, & Monasteriorum

Monia-

Monialium, aut quorumcunque piorum locorum conficere in
entarium bonorum omnium mobilium, & stabilium in quo va
a omnia sacra, vestes, suppellectilia, & quæcunque alia sese mo
entia. Item fundos, agros, domos, census, redditus, iura, actio
es, ac cætera omnia ad prædicta loca spectantia describantur
um annotatione qualitatum, quantitatum, confinium, situatio
um, responsionum, & nominum pariter detinentium, singulis
uibusque vigintiquinque annis renouentur cum eorum finibus.
Hæc omnia ordinatim, & diligenter in libro ad hoc specialiter
eputato recenseantur sub pœna ducatorum vigintiquinque pijs
sibus, &c. & in subsidium iuris excommunicationis, alijsque no
ro arbitrio reseruatis; isque liber trium saltem testium ap-
probatione subscribatur, qui de supradictis informati sic esse te-
entur. Huius verò inuentarij originale ad nos transmittatur;
opiam verò authenticam, pænes illum, qui illud egit retineatur
n Archiuio suæ Ecclesiæ perpetuò conseruandam, sicut, & nos
riginale in Archiuio nostræ Curiæ Episcopalis perenniter asser-
andum curabimus; forma verò Inuentarij hæc erit.

In nomine Domini. Amen.

Hoc est inuentarium omnium bonorum mobilium, stabilium,
uctuum, redditum, iurium, & actionum Ecclesiæ Parochialis
I. (si fuerit Parochialis, si verò non fuerit Parochialis dicatur
ntum Ecclesiæ N. & exprimatur nomen tituli Ecclesiæ positæ,
describatur locus, vbi situata est Ecclesia) celebratum sub
ie.... mense.... præsentis Anni.... per N. dictæ Ecclesiæ
ectorem, & me Notarium infrascriptum in præsentia, & iuxta
lationem, & assertionem dicti N. Rectoris, & N.N.N. homi-
um de infrascriptis plenam cognitionem habentium medio eo-
um iuramento per me notarium eisdem de dicenda veritate
elato.

Et postea scribantur in inuentario Ecclesia, locus vbi est po-
ta cum suis confinibus, illius altitudo, longitudo, & latitudo,
arietes cuius qualitatis sint interius, & exterius, quod habeat
ontispicium, atrium, vel porticum, quæ sit Ecclesiæ forma,

item paulmenti, tecti, campanilis, ostij, & fenestrarum qualitates, & conditiones.

Altaria omnia, illorum denominationes, & quibus sint concessa, ornatus picturarum, & paramentorum, redditus cum instrumentis, & onera missarum.

Deinde mobilia omnia Ecclesiæ, campanæ cum eorum pondere si haberi potest, & descriptiones in ipsis existentes.

Subsequenter stabilia bona eiusdem Ecclesiæ cum annotatione confinium, & per quos recenter possidentur, adiungat siquæ habet debita, & quibus debentur, & cætera omnia, quæ ad Ecclesiam spectant.

Subscriptio verò fiat hoc modo.

Ego N. Rector supradictæ Ecclesiæ hoc præsens inuentarium rerum, & bonorum supradictorum ad dictam meam Ecclesiam spectantium, & per me pacificè possessorum confeci, & in præmissorum fidem me subscripsi, & ita iuro.

Testes verò subscribant hoc modo.

Ego N. testis de tali loco, rerum, & bonorum prædictorum, quorum me notitiam habere affirmo præsens inuentarium dum conficeretur interfui, & in fidem præmissorum omnium me subscripsi, vel signum Crucis apposui, & ita iuro.

Cap. VIII.

DEnique eos, qui pluries requisiti, vt ter, vel quater soluere contempserint, vel nostro Reu. Capitulo, vel Ecclesijs Parochialibus, aut alijs, qui Monasterio, seu cuicunque alio pio loco, & præcipuè mensæ nostræ Episcopali census, & fructus debitos suo tempore maturatos, vel cum non possint pignus tribuere aut saltim obligare sese publicis, seu saltē priuatis scripturis ad illos soluendos si verè tenentur, & per aliquod tēpus præteritum soliti sint soluere ex nunc vti detentores bonorum Ecclesiæ excommunicationis vinculo innodamus, à quo absolui

non

non possint, nisi prius satisfecerint Ecclesijs, seu Ecclesiasticis personis, quibus census debentur. Eos verò qui à solutione censuum Ecclesijs, & ecclesiasticis personis cessant sub prætextu quod non possident bona, super quę impositus est census, vel quia Ecclesia non valet instrumenta, catasta, vel obligationem, chirographa ostendere, eadem excommunicationis pœna ad illorum solutionem compelli statuimus, Ecclesiamq; in possessione exigendi manere, donec in petitorio constet de illius iniustitia, vel malo iure, cum potius hoc modo spoliatores Ecclesiarum, earumque iurium vsurpatores dicendi erunt, & Ecclesiæ facilè spoliarentur eorum iuribus, & præsertim in hac nostra Ciuitate, vbi instrumenta, & censuum obligationes ob antiquitatem, ferè omnes deperierunt, & ministri tantum manent in possessione exigendi.

TITVLVS XIII.

De Sacristia.

Cap. I.

IN qualibet Ecclesia, vbi redditus, & eleemosynæ suppetunt habeatur sacristia, in qua recondantur supellectilia Ecclesiæ, & pro commoditate Sacerdotum celebrantium in ea fiat Oratorium cum imagine sanctissimi Crucifixi, & genuflexorium, vbi Sacerdos ante, & post missam orationi aliquantulum vacet; adsit tabella cum orationibus per-

ſoluendis; lauacrum item cum vaſe apto pro manibus celebraturi abluendis, & mappa munda pro illis abſtergendis.

Cap. II.

COnficiatur inſuper in ea armarium aliquantulum eminens à ſolo ductilibus diſtinctum capſulis, quorum aliæ ſacras veſtes, & inter illas pretioſiores à cæteris ſeparatas aſſeruentur; alia quæ ſacra vaſa ex auro, vel argento, tum & corporalia, purificatoria, & alia huiuſmodi munda ſemper, & accommodata retineant, quæ cum opus erit non abluantur, niſi ab aliquo in Sacris conſtituto, & in vaſe ad id ſpecialiter deputato.

Cap. III.

VEſtimenta omnia ad miſſæ ſacrificium neceſſaria in ſacriſtia adſint, etſi fieri poteſt omnium colorum, quibus Eccleſia vtitur; ſint autem ſaltem tres planetæ cum ſuis ſtolis, & manipulis, alba rubea, & violacea, nec aliquam prædictarum induant celebraturi, niſi ab Epiſcopo ſint benedictæ.

Cap. IV.

HAbeat inſuper tintinnabula, vt in eleuatione Corporis, & Sanguinis Chriſti adſtantes, & prætereuntes commonebant, vt genuflexionibus, & pectorum percuſſionibus humiliter & deuotè Dominum proſternati adorent campanello alio prægrandiore à parte dextera ianuæ Sacriſtiæ pendente non careat, vt fideles ad miſſam audiendam conuocentur.

Cap. V.

APpendatur tabella onerum missarum à sacerdotibus persoluendarum, ac alia festorum populo diebus Dominicis indicendorum, itemque alia clericorum, qui destinatis diebus missis sunt inseruituri; festis verò omnes clerici simul inseruiant.

Cap. VI.

CAueant laici, & multò magis clerici, seu Sacerdotes in Sacristijs à deambulationibus, à strepitu, & colloquijs, ne ad sacrum peragendum præparatorijs orationibus incumbentes, & alios ab orando perturbent, nec in eisdem sacristijs comessationes à quocumque fiant sub pœna librarum ceræ vigintiquinque pro qualibet vice, & in subsidium iuris excommunicationis, ac etiam in virtute sanctæ obedientiæ.

Cap. VII.

E Sacristia nostræ Cathedralis non amoueantur deinceps supellectilia absque nostra expressa licentia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, tam à transferente illa ad eorum, aliamuè Ecclesiam, quàm à permittente eo transferri, vel amoueri.

Cap. VIII.

NEc in posterum audeat quis eadem supellectilia quouis prætextu sibi applicare illas claudendo in proprijs arcis etiam in eadem sacristia sub eadem pœna excommunicationis.

TITVLVS XIV.

De celebratione missarum, & sacris diuinorum ritibus.

Cap. I.

CVM tremendũ Missæ sacrificiũ apprimè conferat ad Christifidelium salutem, sacerdotes huius ministri, quo fieri potest sanctius, purius, ac studiosius illud peragere curent, ne sacrificium institutum ad vitam, obueniat illis in mortem; quapropter, vt dignè, & laudabiliter (quantum humana fragilitas patitur) administretur, & interior animi pietas, externis significationibus aperiatur, hæc obseruari circa dictum sacrificium statuimus.

Cap. II.

IN primis caueat Sacerdos, ne intuitu lucri, aut inanis gloriæ, vel ob superioris timorem, aut aliam humanam affectionem celebret, sed ad Dei honorem, & gloriam, atque ad suam ipsius populique, & animarum viuentium, ac defunctorum salutem.

Cap. III.

NVllus sacerdos, tam sæcularis, quàm regularis, in Ecclesijs nostræ Diœcesis ante auroram, vel post meridiem audeat

audeat celebrare nisi Apostolico sit fultus priuilegio nobis prius præsentando: pro laborantibus autem, aut iter facientibus, & pro pauperibus puellis vna missa in aurora in qualibet Ecclesia, vbi Sacerdotum numerus suppetat, celebretur.

Cap. IV.

SAcerdos ad altare progrediens, aut regrediens operto capite procedat, incessu graui, ac demissis oculis neminem salutando. Antequam sacras induat vestes missam, quam dicturus est perlegat, & signacula suis locis accuratè disponat, & si quæ dubia habuerit, vel circa missam, vel circa prolationem verborum prius peritiores consulat.

Ante missæ inchoationem Sacrista, vel clericus paret omnia, quę in altari sunt sibi necessaria, & præsertim vrceolos cũ vino, & aqua, ne postquam missam incæperit cogatur minister cum populi admiratione, & derisione huc illucque vagari, & celebrans supersedere cogatur.

Indutus sacris vestibus statim ad altare egrediatur præcedẽte ministro, nec quempiam expectet, aut, aut post inchoatam missam intermittat, vel aduentu alicuius à capite redeat, nec missam, quam vocant siccam similiter publicè quauis de causa perlegat.

Celebrans non vtatur pileolo in quauis parte missæ, sed capite detecto à principio illud peragat ex decreto Gregorij Papæ Decimiquinti.

Cap. V.

VTantur omnes Sacerdotes in sacrificio missæ nouo missali Pij Papæ V. iussu edito, & à Clemente Octauo recognito, & ceremonias in eius rubricis adnotatas seruent ad vnguem, veteri

veteri missali penitus prætermisso sub pæna suspensionis à diuinis eo ipso incurrenda, & alijs nostro arbitrio puniendi.

Cap. VI.

IN missa tres, vel ad summum quinque collectæ fiant, nisi aliud Ecclesia statuerit, neuè Canonis verba memoriter, recitent; sed ea distinctè legant, & pronuncient.

Luminaria in missis priuatis sint duo ex cera alba, iuxta decretum Sacræ Congregationis; non extinguantur ante completum Euangelium S. Ioannis, quod incipit, In principio; nec quis sine corona celebret, aut sine ministro clerico superpelliceo, seu cotta induto.

Distent ab altari laici, & maximè mulieres, & dum missæ sacrificium peragitur, omnes aperto capite, vtroque genuflexo, attentè intersint, silenter, & deuotè.

In missa solemni, & alijs diuinis officijs sedere licet: dummodo ad Euangelium, & Cantica ex Euangelio desumpta assurgant tam viri, quàm mulieres.

Ad eleuationem sanctissimi Sacramenti in missa maiori pulsetur campana maior in qualibet Ecclesia, vt sanctissimum Sacramentum adoretur ab audientibus, licet absentibus; in missis vero priuatis tintinnabulum pulsari sufficiat.

Cap. VII.

ILlotis manibus Sacerdos sancta non tractet, sed omni prorsus exteriori munditia conscientiæ puritatem præferat; & in missa annulo non vtatur. Ornamenta ad missæ celebrationem adhibenda pura semper, & nitida existant, & ab omni sorde munda. Vestimenta verò, quæ longo vsu, vel à tineis consumpta fuerint, in sacrorum administratione amplius non adhibeantur,

tur, sed aut in alios Ecclesiæ vsus adaptentur, aut comburantur, & cineres in sacrarium mittantur. Nullo autem modo vendantur, aut laicis tribuantur, donentur, vel permutentur.

Cap. VIII.

EXpleto Missæ sacrificio celebrans in Sacristiam eodem quo venit ordine reuertatur, præcedente ministro, & sacris exutus vestibus, aliquantulum orando, de perceptis muneribus gratias Deo referat, deinde iterum manus lauet, quibus tetigit sacra.

Cap. IX.

DVm nobis solemniter celebrantibus, vel assistentibus solemnis missa peragitur, tunc in ea Ecclesia nullus interea celebret, quousq; per nos pontificali more benedictio fuerit collata sub pœna suspensionis à diuinis eò ipso incurrenda.

Cap. X.

SAcro presbyteratus ordine initiati primam missam celebrare non audeant, nisi prius à magistro cæremoniarum, vel alio ad id deputato examinati, & approbati, à nobis, vel à nostro generali Vicario permittantur sub excomunicationis pœna; ijdemque in primæ missæ celebratione à solemnibus conuiuijs, & commessationibus abstineant, & eleemosinæ à nouo Sacerdote per Ecclesiam non colligantur, vt omnis auaritiæ, & gulæ auferatur occasio.

Cap. XI.

NVllus extra Ecclesiam celebret, nec in priuatis oratorijs, nisi à Sede Apostolica ex priuilegio ibi celebrari posse fuerit concessum. Similiter in oratorijs Societatum Laicorum, vel alijs Cappellis celebrari nemini liceat maximè ad laicorum deputationẽ absque nostra, vel nostri generalis Vicarij in scriptis facultate sub pœna suspensionis quoad Sacerdotes, & excommunicationis eo ipso incurrenda quoad laicos.

Cap. XII.

PRo qualibet Missa priuata celebranda eleemosyna non minus granis decem erogetur; pro missa verò maiori, & cantata non minus granis viginti ex laudabili consuetudine nostræ Diœcesis. At in missis legatis, seu annuatim constitutis ratio talis habeatur, vt pro quolibet annuo tareno vna missa priuata, pro quinque annuis carolenis, vna missa cantata, ad quam plures Sacerdotes conuenire necesse est celebretur, iuxtà diminutionẽ, & reductionem, ex Conc. Trident. facultate sibi tradita, à nostro prædecessore Fratre Cæsare Lippio in Synodo Diœcesana de anno 1612. factã; vtque defunctorum animabus plenius satisfiat iuxtà mentem dicti Sac. Concil. Trident. in alia Synodo fuit decretum, vt in parochialibus Ecclesijs in posterum ter in anno tres solemnes missæ, cum nocturnis pro defunctis solemniter decantarentur, ac nihilominus in cœteris missis insuper eorundem defunctorum commemoratio fieret, quod innouantes omninò seruari decernimus; in missis verò legatis, & quotidianis, quæ fuerunt legatæ, & in posterum legabuntur, vel offerentur post decretum Sac. Congregationis de missarum reductione editum Anno 1624. sub die .... idem decretum omninò seruetur.

Cap. XIII.

IGnoti presbyteri peregrini, hùc illucque peruagantes, absque licentia à nobis, vel nostro generali Vicario obtenta, ad celebrationẽ missarum non admittantur in Ecclesijs nostræ Diœcesis sub grauibus pœnis nostro arbitrio reseruatis, sicut neque alterius Diœcesis quamuis propinquæ Sacerdos, qui sui ordinarij litteras testimoniales non exhibuerit.

TITVLVS XV.

De Confraternitàtibus, Hospitalibus, & alijs locis pijs.

Cap. I.

EX laicorum societatibus probè institutis, & piè obseruatis ingens vtilitas in Ecclesia emanare probatur, ad Christifidelium mores corrigendos, atque emendandos; cupientes propterea nos, vt eædem deinceps cum maiori fructu in suis perseuerent institutis infrascripta inuiolabiliter pro earum conseruatione obseruari mandamus.

Cap. II.

VT confratres quarumcumque Societatum ipsam regulam à nobis approbatam, quam profitentur, obseruent, statis temporibus in vnum conuenientes, sub certo viuendi modo frequentatione, ac Sacramentorum susceptione, & charitatis opera exercendo cæteros exemplo suo, ad meliorem frugem excitent, diuinum officium quod pro laicorum confraternitatibus fuit institutum tempore congruo persoluant.

Cap. III.

QVi doctrinam Christianam, vel saltem fidei necessaria ignorat in Societatem non recipiatur, nisi tamen ipsa Societas ex suo instituto doctrinam Christianam edoceat. Facinorosi, publici vsurarij, concubinarij, & his similes, nisi prius resipiscant, & vitam in melius commutent non admittantur.

Cap. IV.

PRæfecti siue prioris, aut quocumque alio nomine Superioris, & aliorum officialium Societatis electio fiat saltem singulis annis, & præsente Parocho, qui tunc præcipuè prouideat, vt omnia in pace tractentur.

Cap. V.

VNaquæque Societas habeat infrascriptos libros scilicet librum regularum suarum, in quo etiam describantur determinationes, & sanctiones capitulariter factæ per cancellarium, cum annotatione diei, mensis, & anni. Librum in quò scribantur

incor-

incertæ pecuniæ, quæ dietim, vel mensatim offeruntur, vel exiguntur. Alium librum in quo annua legata, onera illis annexa, & quæcunque alia onera Societatis in celebratione missarum. Librum inuentarij bonorum mobilium, & stabilium ipsius Societatis conficiendum infra terminum, & iuxta formam à nobis supra traditam.

Cap. VI.

ADministratores siue Magistri confraternitatum, & societatum, siue Hospitalium, Ecclesiarum, & quorumcumque piorum locorum singulis annis eligantur secretis suffragijs, conuocatis antea ad sonum campanæ maioris, statutis die, & hora omnibus confratribus, vel Parochianis, vel ijs ad quos spectat, qui conuenientes, intrà oratorium, Cappellam, vel Ecclesiam, deuotè præhabitis opportunis precibus, cùm assistentia Parochi, eos ad piam administrationem adsciscant qui magis conferre, quam auferre valeant, intrà quos semper eligatur vnus ex Parochis iuxta laudabilem consuetudinem; nec ità electi prius administrent, quam à nobis, vel nostro generali Vicario confirmentur, iurentque se fideliter administraturos, & rationem reddituros in fine eorum administrationis; electiones verò factæ contra formam prædictam nullas, & inualidas ex nunc pro tunc declaramus, & ad nos, & nostram Curiam Episcopalem deuolutas; nec electi confirmentur post annum, absque nostra expressa licentia, nec eligantur debitores, vel filij debitorum prædictorum locorum piorum, nec ij, qui non vacauerint ab administratione saltem per tres annos continuos sub pœna nullitatis electionis & ad nos, & ad dictam nostram Curiam deuolutionis.

Cap. VII.

IN electionibus prædictorum Magistrorum, vel officialium, nullus audeat sibi vota procurare, vel procurari facere, neq; per se, nec per alios sub pœna excommuuicationis latæ sententiæ, & nullitatis electionis, & ad nos, & nostram Curiam deuolutionis, sed omnia cum simplicitate fiant, & cum inuocatione diuini numinis.

Cap. VIII.

COnfratres, & alij in eorum Oratorijs, cum armis, & fustibus non conueniant; facinorosi, qui ab eorum institutis errantes, terque moniti incorrigibiles perseuerauerint eijciantur à sodalitate, certiorata prius nostra Curia Episcopali, & caussa per eam cognita.

Cap. IX.

IN magnis festiuitatibus in eisdem Oratorijs non congregentur, decet enim solemniores, ac potiores Sanctæ Matris Ecclesiæ celebritates ab omnibus publicè obseruari.

Festiuitates maiores sunt infrascriptæ.

Natiuit. D.N. Iesu Christi. Pascha resurrectionis, & Pentecostes, festum Assumptionis D. Mariæ, Omnium Sanctorum, Epiphaniæ Domini, & festum titulare Parochialis intrà cuius finem, est Oratorium.

Cap. X.

IIdem Confratres diuinorum, ac ſacrorum concionum tempore officia non recitent, nec muſicè canant, nec incenſum ſibi inuicem præſtent, aut pacem oſculando exhibeant, ſicut nec in aſſociandis defunctis, aut in publicis proceſſionibus aliquid altè, vel choraliter pſallant, maximè præſentibus clericis.

Cap. XI.

VEſtes pro vſu Confraternitatis, quas ſaccos vocant confratres non retineant apud ſe domi etiam ſi de propria ſubſtantia illas confecerint, ſed in ſocietate, communi loco, & qui à Societate alienati, vel eiecti fuerint eas dictæ Societati dimittant, cui omnino acquiſita ſegregamus.

Cap. XII.

INtra Oratoria prædicta nullus audeat Sacerdos confeſſiones audire mulierum, nec ibi conciones, aut ſermones habere abſque noſtra expreſſa licentia præter Parochum, vel Cappellanum ipſis Societatis à nobis approbatum.

Cap. XIII.

INſuper in mortuorum exequijs nullus Confratrum cuiuſuis Societatis diſtribuendi eleemoſynas officio fungatur, ſed hoc Parochi, vel alterius Sacerdotis ſit munus, neque vllo prætextu audeant confratres mortuorum cadauera ſine proprij Parochi præſentia, & conſenſu ſuſcipere ſub pœnis grauiter à nobis infligendis.

Cap.

Cap. XIV.

CApsciius, & ministri montium Pietatis, aliorumque piorum locorum de cætero personis incertis, & innominatis; vel non egenis eleemosynas non erogent, nec vltrà carolenos quinque absque nostra licētia sub pœna solutionis de proprio; pignoraque ex auro, vel argento post annum panna; verò, aut linea post semestre publicè vendi procurent, triduo tamen ante præmissis publicis proclamationibus; alioquin illorum iacturam eisdem expensam feremus. De principali prædictæ pecuniæ sorte, quæ fortè obuenit, aut in futurum obueniet dictis sacris montibus, alijsque pijs locis nemini quicquam, aut mutuent, aut in societatem, vel mercimonij caussa tradant, vel per se ipsos expendant, aut aliquo modo disponant, etiam in emptionem introijtuum nobis inconsultis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: id quod etiam de omnibus Ecclesijs, & pijs locis quibuscumque nobis subditis, intelligi volumus.

Cap. XV.

CVm in aliqua Ecclesia, vel hospitali pro monte, Confraternitate, vel quouis alio pio loco quocumque nomine vocato lis aliqua insurrexerit ex quauis caussa, eorum ministri ad nos deferant, nec quidquid in lite tàm mota, quàm mouenda expendere valeant absque nostra in scriptis licentia sub pœna solutionis de proprio, qui contra hoc fecerit.

Cap. XVI.

MEndici beneualentes, aut exteri in Hospitalia non recipiantur nisi pro vna tantū nocte, nec vlterius absque nostra, vel nostri generalis Vicarij licentia, nisi aliud eius primæua insti-

institutio suadeat. Cum fœminis verò Mares nullo modo versentur sub quocunque nomine etiam matrimonij. Aegrotantes verò benignè recepti statim confiteantur confessario à nobis pro tempore deputando,& communicent, neuè eisdem ad curationem necessaria desint,idque hospitalarius diligenter obseruet sub pœna arbitrio nostro reseruata.

Cap. XVII.

ADministratores tàm ecclesiastici, quàm laici quorumcunque piorum locorum, aut ministri, & confratres quarumuis societatum, singulis annis rationem suæ administrationis nobis,siue nostræ Episcopali Curiæ reddant,& deinde non ipsimet confirmentur, nisi ex caussa nobis beneuisa, sed noui eligantur, ne diuturnum horum officium videatur illis aliquod in societate, vel locis pijs dominium detulisse.

Cap. XVIII.

QVi ex reddita ratione remanserit debitor infra decem dies omnino Ecclesiæ, vel alteri pio loco satisfaciat, alioquin à nobis contra ipsum procedetur ad executionum iuxta Sac. Concil. Trident. decretum;mandantes,vt de cætero non eligantur in Ministros qui sunt debitores Ecclesijs, & maximè illi qui debitores extiterint pro eorum administratione iuxta aliud decretum superius expressum.

TITVLVS XVI.

De Processionibus.

Cap. I.

VT in processionibus omnia in Dei laudem, animarumq; salutē dirigantur, designetur proprius Magister cæremoniarū Canonicus nostræ Cathedralis Ecclesiæ; qui Laicorū confraternitates, ipsumque clerū ordinatim disponat; ac dirigat, impedimenta processionis amoueat, & præsertim attendat ne laici Clericis misceantur, ac reliqua omnia, quæ ad processionis quietem pertinent prouideat.

Cap. II.

CVm contigerit generales fieri processiones quacumque ex caussa egrediantur: RR. de Capitulo, cum Clero, regularibus, & confraternitatibus ab Ecclesia nostra Cathedrali, eoque regrediantur, nisi fortè aliud iusta caussa nobis videbitur decerni. Processiones verò particulares pro inchoandis Indulgentijs, aut alias deuotionis caussa per Clericos sæculares, vel regulares faciendæ egressum ab eadem Ecclesiæ Cathedrali exordiantur, licet non ad eandem Ecclesiam reuertantur.

Cap.

Cap. III.

AD easdem generales processiones conueniant omnes tàm clerici sæculares, quocunque ordine etiam prima tonsura insigniti, quàm etiam Regulares cuiuscunque ordinis intra fines huius Ciuitates existentes superpelliceis, alijsque sacris vestibus consuetis induti, cum habitu talari, & decenti; similiter, & confraternitates omnes accedere teneantur cum saccis, armutijs cæterisque pijs insignibus sub pœnis in nostris edictis super processionibus indicendis.

Cap. IV.

IN his processionibus, illud maximè seruari hortamur, imò præcipimus, vt omnes maiori qua fieri poterit grauitate, silentio, ac deuotione bini in vnitatis, & geminæ charitatis signum incedant, qua decet Dei ministros reuerentia, compositione, & pietate, psalmos, & himnos canendo.

Cap. V.

ET vt omnis prorsus tollatur occasio dissentionum, & controuersiarum, præcipimus, vt in procedendo talis seruetur ordo. Primò incedant confraternitates singulæ, suum vnaquæque locum capientes, quem sibi de more, magister cæremoniarum assignauerit; deindè regulares, seruata inter eos prærogatiua, iuxta constitutionem fæl. rec. Greg. XV. subsequantur postea Clerus sæcularis; ita tamen inter se distinctus, vt præcedentibus omnibus sacris vniuscuiusque Parochiæ vexillis, clerici, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri bini seruata cuiusque dignitate ordinis, & promotionis antiquitate, vel beneficij prioritate incedant. Post Clerum RR. de Capitulo, præuia inter eos capitulari.

tulari Cruce ſubſequantur,habita ſimiliter inter eos, & dignitatum, & ordinum ratione. Et vt talis continuò inuiolabiliter ſeruetur ordo; Mandamus omnibus prædictis Clericis ſæcularibus,vt infra menſem noſtræ Curiæ Epiſcopali ſuas ordinum, vel beneficiorum bullas exhibeant, vt de prioritate cuiuſcumque temporis conſtet,& in eadem Curia perpetuò aſſeruentur.

Cap. VI.

DVm Proceſſio per Plateas pergit, obſerentur officinæ, à negotijs abſtineant,& à clamoribus, contractibus,& venditione quarumcunque rerum etiam commeſtibilium: Iumenta, brutaque arceantur, ne quo pacto proceſſionem impediant, aut perturbent. Pictæ tabellæ rerum turpium, aut prophanorum repræſentationes,aut carminum recitationes non permittantur.

Cap. VII.

\# IN proceſſione ſolemnitatis Corporis Chriſti plateæ omni immunditia purgentur,& parietes,quoad fieri poteſt, ſericis, vel pannis ornentur.* Mulieres non defeneſtris, & loco ſuperiori proſpiciant,ſed deſcendant, & ex patenti ianua genuflexæ humiliter, piè, & deuotè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adorent, & proceſſionem ſubſequantur.

* Hoc etiā in Synodo Salern. an: 1579. Tit: XIX. cap: XVI. et in monopoli. an: 1555. cap: 5.

TI-

TITVLVS XXII.

De Exequijs, & ſepulturis.

Cap. I.

VT vetus Eccleſiæ inſtitutum mortuorum funus pijs precibus, & officijs ſolemni more proſequendi, auaritia, ambitione, vel negligentia deprauatum, ad priſtinam rationem reuocemus, Clericis quibuſcumque noſtræ Diœceſis, cuiuſuis dignitatis ſint, hæc obſeruanda ſtatuimus, & mandamus.

Cap. II.

NE impoſterum exequiarum ſepulturæ, & Anniuerſariorum cauſſa quidnam paciſci, aut exigere, neque etiam petere, vel aliud committere audeant, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ præſeferat ſuſpitionem; defuncti corpus, nec propter nondùm exhibitum teſtamentum, nec propter proceſſionem, aut iura funeralia non ſoluta vllo pacto detineatur; cùm impium ſit hominum cadauera ſepultura priuari; pias tamen conſuetudines circa eleemoſynas ex funere percipiendas nullatenus abrogamus; ita tamen quod ex laudabili, & approbata conſuetudine ſoluendum ſit, ad id hæredes captis pignoribus, vel alio, honeſtiori modo compellantur, vel idoneam præſtent cautionem ſe quod iuſtum, & conſuetum foret ſeluturos, & abſque ſcandalo quod debetur exigatur.

Cap.

Cap. III.

AD tollendam autem omnem ambiguitatem circa eleemosynam pro funere præstandam iuxta antiquam, & laudabilem consuetudinem, & vnitas seruetur in tota nostra Diœcesi, hæc obseruanda inuiolabiliter, & absque vlla diminutione, vel additione ab omnibus clericis nostræ Ciuitatis, & Diœcesis statuimus, & mandamus videlicet.

Vt pro iuribus Parochialibus soluantur Parocho carolini duodecim,& libra vna ceræ albæ elaboratæ, ponderis vnciarum duodecim pro vno quoque adulto sepeliendo, nec non tribuantur singulæ candelæ vnicuique Parocho,ac alijs Sacerdotibus, & clericis associantibus defunctum accensæ deferendæ,& grana decem Sacristæ Ecclesiæ.

Item si in Parochia defuncti, fuerint plures Parochi, & hæredes defuncti petierint associationem tribuatur pro vnoquoque Parocho, vel alio Sacerdote associante carolinus vnus, clericis verò in minoribus pro dicta associatione grana quinque, & cuilibet candela vna ponderis saltem vnius vnciæ.

Si verò defunctus efferatur extra Parochiam ad aliam Ecclesiam pro accessu longiori associationis, merces duplicetur, & si longius erit iter ratio mercedis habeatur iuxta distantiam Ecclesiæ,in qua erit sepeliendus, non tamen quando defunctus erit sepeliendus in Cathedrali Ecclesia, quia tunc cum sit matrix Ecclesia, & Parochia Parochiarum nulla duplicabitur merces pro processione, sed Parochus suis solitis iuribus super expressis sit contentus.

Pro iuribus autem infantium infra septennium decedentium non exigantur, nisi carolini quatuor; si verò parentes defuncti pueri velint missam,erogabunt solitam eleemosynam vltrà dictos quatuor carolinos. Item contribuantur candelæ singulæ in manibus Parochi accensæ deferendæ,ac etiam clerico associanti.

Si verò infantium parentes, vel alij ad quos spectat pro infantibus ipsis velint associationem presbyterorũ,& aliorum clericorum,

rum,ac confraternitatis, seruetur decretum supradictum, vt scilicet carolini duodecim, & libra vna ceræ albæ elaboratæ Parocho,& grana decem Sacristæ, & alia, vt supra. Declarantes teneri Parochum pro dictis iuribus sibi soluendis canere missam de Requiem pro defuncto,ac etiam includatur eius associatio.

Cum Parochianus aliquis contigerit ab hac vita migrare extra nostram Ciuitatem, vel Diœcesim infra annum à suo discessu teneantur hæredes soluere Parocho iura funeralia, exceptis tamen processionibus, & missis. Post annum verò à dicto discessu nihil Parocho soluatur.

Cap. IV.

Miserabiles personæ, quibus mortuis, aut nihil habent, aut ita parum, vt eorum impensa humari non possint, gratis sepeliantur.

Cap. V.

VT fidelium cadauera, qua maiori decet pietate, & decore efferantur, mandamus omnibus,& singulis presbyteris,& clericis qui ad illam funeralem pompam comitandam accersuntur,ne absque talari veste,superpelliceo,& clericali corona accedant; cætera omnia obseruent in procedendo, quæ de publicis processionibus sanciuimus; ea verò cadauera, nec ante ortum, nec post solis occasum,neuè inter missarum solemnia, nec in die Paschatis ad Ecclesiam absque nostra licentia, nec etiam absque proprij Parochi licentia,& saltem sex horas, post animæ exhalationem deferantur,& sepulturæ non tradantur ante viginti horas, post eius mortem.

Cap.

Cap. VI.

FVneralia iura iuxta ordinem prædictum non nisi præsentibus, vel absentibus iuxta caussa impeditis persoluantur, nec alicui, tàm sæcularium, quam regularium liceat quouis prætextu duplicem mercedem accipere. Huiusmodi autem funeralium exactio non in Ecclesia spectante populo, sed eo remoto, separatoque loco, exequijs, officijsque persolutis distribuatur.

Cap. VII.

SI defuncti cadauer ad Cathedralem nostrã Ecclesiam ibiq; sepeliendum deferri contigerit, vt omnis inter Capitulum & clerum scandali tollatur occasio; mandamus, vt perindè, ac hactenus antiquitus est obseruatum, liceat Parocho mortuum subditum pro muneris sui ratione domo tantum efferre, quo mox ad Ecclesiam præfatam delato, reliqua omnia ad exequiarum officia pertinẽtia, Canonici peragant, collocata in capite feretri capitulari duntaxat Cruce; quod si ad Parochialem, vel inferiorem Ecclesiam, etiam regularium deducatur; primæ voces in Choro Canonicis deferantur, reliquæ inter cæteros siue Parochos, siue alios presbyteros conuocatos sæculares, vel regulares, seruata ordinis, & dignitatis prærogatiua diuidantur.

In omnibus autem, semper Parochorum iura salua esse intendimus. Cùm autem ad aliam Ecclesiam, quam ad propriam defuncti Parochiam cadauer deferri contigerit, & totum Capitulum, adsit, ipsi de Capitulo vltra primas voces etiam missam canere possint, in Parochiali verò proprius Parochus.

Cap.

Cap. VIII.

NVllus autem defunctus domo efferatur,nisi prius Parochus fidemfaciat cum iuramento, vel in proxima infirmitate fuisse confessum,vel saltem in precedenti paschate Ecclesiæ præcepto,circa pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta satisfecisse; si autem id non constiterit, sine Episcopi licentia non sepeliatur. Mortui verò in notorio delicto, vel in manifesto damnationis statu ecclesiastica sepultura omnino priuentur.

Cap. IX.

CAndelas,cæreos, & quæ intorcia vocantur circa feretrum, Crucem, & Altare ad Ecclesiam in funerali ritu allata, & accensa, Ecclesiæ ipsi, vbi defunctus sepelitur omnino oblata, & addicta esse declaramus, in vsum tamen missarum, & diuinorum tantum officiorum, sicuti etiã funebre pallium siuè Culcitra,quæ mortuo superim ponatur, eidem quoque Ecclesiæ acquiratur; quò verò ad Regularium Ecclesias vbi mortuus sepelitur attinet, seruetur consuetudo multis abhinc annis continuata, vt scilicet cæreorum prædictorum diuisio æqualis sit inter eos,& proprios Parochos.

Cap. X.

NEmini quemque laudare in funere,aut conciones funebres recitare,aut castrum, quod vocant doloris in altum erigi, & circa illud Elogia quæcumque apponi,vel Epitaphia in tumulis inscribi liceat absque graui caussa, & Episcopi licentia,etiam in Regularium Ecclesijs; liceat tamen in funere concionem haberi quæ tota referatur ad humanam miseriam, fidelium oculis proponendam, omnesque ad vigilandum cohortando, ne cum ve-

nerit Dominus hora, qua non putauerint, inueniat, eos dormientes.

Cap. XI.

MAndamus ne quisquam ex vlla cuiusuis ordinis Ecclesia mortui cadauer perpetuæ sepulturæ traditum asportare præsumat, absque Episcopi facultate, eaque litteris nominatim exarata.

Cap. XII.

PEregrinorum, ac capite punitorum, aut repentina, violentaque morte decedentium cadauera in Ecclesia Cathedrali tantum vbi Sacellum sub vocabulo Sanctæ Restitutæ, & fouea pariter ad hoc opus erecta reperiatur, deinceps sepeliantur iuxta bullarum eiusdem Sacelli dispositionem; si tamen prius authentico documento vel alias probabiliter eos præcepto Sanctæ Ecclesiæ de confitendo, & comunicando saltem semel in Anno, & in Paschate satisfecisse constiterit; quod curati, vel alij Cappellani sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda in scriptis asseruerare non audeant, nisi reuera ita sit. Iura autem Parochialia, semper ijsdem salua esse volumus.

Cap. XIII.

NVllus Clericus siuè sæcularis, siuè Regularis, cuique prohibere præsumat, sub quouis prætextu, ne ad sui libitum quis in Ecclesia, aut alio pio loco sibi placito sepulturam eligat, vel ad eam eligendam, aliquo pacto, aut iuramento quempiam inducat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed cuius-

cuiusque liberæ voluntati relinquat, in qua maluerit Ecclesia sepeliri.

Cap. XIV.

PAter pro filio minore quatuordecim annorum sepulturam eligere poterit, dũmodo electio fiat antè mortem eius, non post mortem; hoc enim casu in propria Parochia erit sepeliendus, vt Sacra Congregatio rescripsit Episcopo Fulginateñ. in 7. Octobris 1578.

Cap. XV.

CAdauera defunctorum nullo modo pro capiendis informationibus, à Curijs Laicalibus exhumentur postquam tradita fuerint ecclesiasticæ sepulturę, vt Sac. Cong. rescripsit Episcopo *Callieñ. 27. Nouembris 1619. In hæc verba.

Comes Franciscus de la Porta cum vt de indemnitate cuiusdam archibusij cuius ictu quidam Abbas interfectus fuerat certioraretur Callieñ. Episcopo pro licentia dicti Abbatis cadaueris exhumandi pluries institerit, ad hoc, vt pilcas plumbeas ex dicto corpore abstrahere & cum archibusio prædicto confrontare posset; dictus verò Episcopus prædictam licentiam, neque concedere voluisset, pro eadem licentia Sacram Congregationem supplicauit. Sacra Congregatio respondit quod benè fecit Episcopus; quia in foro Ecclesiastico non sumunt Laici indicia in caussis criminalibus.

Cap. XVI.

SAcerdotes, hac mortali vita defuncti sacerdotalibus vestibus induti efferantur, & saltem cum alba sepeliantur, vt quos viuentes Dominus tanto munere decorauit, eos etiam mortuos à cæteris distinguamus: Cæteri autem aut sacris, aut minoribus ordinibus initiati in feretro iaceant quales in Ecclesia solemniter pro ratione Sacrorum ordinum ministrare solebant, & saltem cum superpelliceo sepeliantur; vestes verò sacerdotales, & alia ad celebratum attinentia statim Ecclesiæ illi, vbi inseruiebat addicta esse decernimus, & declaramus.

Cap. XVII.

POstridiè illius diei quo omnium fidelium defunctorum fit Commemoratio, teneantur Canonici in nostra Cathedrali Ecclesia Anniuersarium pro defunctis Episcopis prædecessoribus, secunda verò die pro Canonicis defunctis; prima autem cuiusque mensis die festo duplici non impedita, alioquin sequentibus pro benefactoribus similiter defunctis Anniuersarium celebrari hortamur, quæ singula etiam in parochialibus Ecclesijs Parochi obseruent.

Cap. XVIII.

CVm contigerit aliquem Sacerdotem siuè de R. Capitulo, siuè de Clero ex hac vita migrare, presbyteri illius Ecclesiæ, ad quam deferendum est cadauer defuncti, teneantur gratis illud associare, ac exequias pro illius anima celebrare, & quilibet sacerdos tàm illius Ecclesiæ, quam totius Ciuitatis missam vnam pro dicto defuncto celebrare; hæredes verò Sacerdotis mortui ad nihilum teneantur, nec etiam ad ius parochiale, prætei ad con-

contributionem candelarum pro processione, & tumulo; Id quod hactenus longo tempore fuit obseruatum: Quod omnino hac synodali Constitutione approbantes innouamus, & ab omnibus obseruari præcipimus.

Cap. XIV.

PRæterea ne in posterum Ecclesiarum pauimenta deuastentur, prohibemus omninò quemque sub, aut super eisdem pauimentis sepeliri, sed vel in proprijs cuiusque, vel in communibus Ecclesiæ foueis cadauera condantur, eædemque foueæ lapideis operculis, ità obstruantur, vt fætor aliundè non exhalet, aut pauimentum aliquo modo deturpet.

Cap. XX.

HAbeat vnaquæque Ecclesia parochialis saltem duas foueas comunes, altera pro humandis infantibus infra septennium, altera pro illis, qui propriam non habent sepulturam.

TITVLVS XVIII.

De Testamentis pijsque legatis.

Cap. I.

NE pia fidelium dispositio aliena auaritia pereat, voluntasque fraudetur, & debitæ executioni demandari non curetur, cum ex Sac.Conc.Trident. etiam tamque Sedis Apostolicæ delegati earundem piarum dispositionum simus executores, præcipimus sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, omnibus notarijs huius nostræ Ciuitatis, & Diœcesis, vt deinceps, quarumuis dispositionum tàm in vltima voluntate, quam inter viuos legati, fideicommissi, aut donationis iurifactarum, authenticum nobis, vel nostro generali Vicario, vel Rectori illius Ecclesiæ ad cuius beneficium factæ reperiuntur exemplum, competenti mercede accepta biduò post illorum stipulationem exhibeant, ne mora sit caussa quo minus nos ex dicto Sac. Conc. Trident. auctoritate celeri earum executioni prospiciamus, quò vt ex actis, diligentiusque attendatur præcipimus Parochis omnibus sub pœna nostro arbitrio reseruata, vt antequam corpus defuncti sic piè disponentis sepeliatur omnium legatorum, & piarum dispositionum si quas fecerit notitiam habere statimque ad nos deferre procurent.

Cap. II.

NEmo sub excommunicationis pœna latæ sententiæ testatorem aliquem à voluntate testandi ad pias caussas aliquo

quo pacto deterrere, impedire, aut auertere audeat, vel præsumat, nec non hæredes, & successores quoscumque, qui cum possint, & debeant, ac notitiam habuerint, dicta legata, piasque dispositiones, infra duos menses, à die obitus non adimplentes, eadem ligamus pœna excommunicationis, & nihilominus contrauenientibus in præmissis omnibus absolutio denegetur, nisi damni indè exequuti prius restitutione per acta.

Cap. III.

DEclaramus quod si quando legata pia per hæredum incuriam, aut auaritiam non fuerint soluta suo tempore, & Reuer. Fabrica Sancti Petri de Vrbe ex suis Constitutionibus in totum, vel in partem legata prædicta exegerit, tunc si hæredes prius fuerint requisiti interesse cedat in damnum hæredum, non Ecclesiarum, quibus legata fuerint facta, ipsique hæredes cogantur ad solutionem integram legatorum, etiamsi à Reu. Fabrica S. Petri fuerint exacta in totum, vel in partem.

Cap. IV.

HAeredes, & quicumque alij legatorum piorum locorum executores, tàm in missarum, quam maritagiorum pauperum puellarum non minuant de portione legatorum piorum, & sibi detineant etiam sub prætextu donationis, vel relaxationis à legatarijs, sed illa integra soluant, tàm Sacerdotibus missas celebraturis, quam puellis pauperibus nuptui tradendis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua non possint absolui nisi facta integra restitutione legatarijs; & sub eadem pœna excommunicationis nullus audeat, se intromittere in dispensatione legatorum prædictorum sub quouis prætextu, nisi qui vocati fuerint à testatore, vel per decretum Iudicis declarati.

TI-

TITVLVS XIX.

De diuinis officijs.

Cap. I.

NE aliquo pacto diuinum officium contingat suo fraudari seruitio, sed omni qua decet diligentia, ac animi feruore quotidie exerceatur, animaduertere meminimus omnes ecclesiasticos ità peragere decere, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei; Proindè mandamus, vt omnes clerici, qui ad nocturna, siuè diurna officia recitanda conueniunt maturè ad Ecclesiam progrediantur, & ingrediantur, ingressi deuotè, aqua benedicta se aspergant, & postmodum genibus flexis antè altare maius aliquantulum orando, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum venerentur, & cum surrexerint iterum genuflectant, & adorent, ac sic graui ingressu, ad sacristiam proficiscantur.

Cap. II.

COngregatis in Sacristia tàm Canonicis, quam cæteris Clericis in eorum Ecclesijs, superpelliceo, seu cocta se induant; Canonici verò etiam Armutijs in choro suo quisque loco, pro ordinis, seu dignitatis ratione, deuotè, attentè, distinctèque illa recitent, versus non syncopando, sed verba omnia tàm clarè pronunciando, vt quod dicunt intelligant. Abstineant à mutuis colloquijs, risu, oculorum circuitionibus, clamoribus, verbis. Sedeant, surgant, genuflectant, caput detegant, quoties opus

fuerit

fuerit vno simul tempore, vnumque sit eorum cor simul & vox ad diuinas laudes canendas.

Cap. III.

QVi ad diuinum officium recitandum, vel iure beneficij, vel ratione ordinis tenentur, illud integrum, ad præscriptum Breuiarij Pij V. formam euoluant, nec alius ritus sub quouis prætextu, quam in eodem Breuiario annotatus, obseruetur; qui secus fecerit, oneri suo non satisfaciat & ideò ad restitutionem fructuum sui beneficij, si quod habet, teneatur: Pœnasq; alias in Bulla Pij V. impositas incurrat.

Cap. IV.

ET quia Christifideles à pijs Ecclesiarum legatis, & Altarium deuotionibus retrahuntur, si piæ testantium mentes debitis obsequijs fraudentur, ideò qui iure beneficij, vel alia quacumque ratione ad missarum celebrationem, vel aliorum diuinorum recitationem obligantur, suis oneribus satisfacere non prætermittant, quod si in hoc aliquis deliquerit, contra ipsum etiam priuatione beneficij procedetur.

Cap. V.

NVllus cum sacra officia peraguntur à Choro discedere præsumat, nisi graui de caussa, aut diuinæ rei gratia faciendæ, & tunc etiam petita à superiori licentia. Sacris Sacerdotalibus vestibus per Ecclesiam vagari nullo modo quis audeat, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. VI.

HEbdomadarius, à quo diuina officia inchoari debent, sedulò studeat primus choro interesse, incæptaque nec quempiam prosequi, nec ad finem vsque deduci patiatur, nisi ob vrgentem causam illum oporteat à choro discedere, quo casu alium Sacerdotem de Ecclesiæ gremio suum posse in locum sufficere, permittimus.

Cap. VII.

CAnonici omnes Episcopo solemniter celebranti, vel pontificalia exercenti semper assistant, & cum eodem diuinis interessente opportuna conrecitent habito circulo; Conuentuales Missas singulis annis, festiuitatibus in primis, & secundis Vesperis in nostra Cathedrali iuxta eorum Bullas, & priuilegium eiusdem Cathedralis, totaq; Quadragesima decantare habeant: in alijs verò Ecclesijs vbi competens est clericorum numerus eisdem anni festiuitatibus ibi inuiolabiliter obseruari pręcipimus per totam quadragesimam, sub pœnis nostro Arbitrio reseruatis.

Cap. VIII.

VT autem diuinus cultus feruentius peragatur, neuè quis absque iusta caussa à Choro abesse præsumat, volumus, & mandamus, vt in nostra Cathedrali Ecclesia per RR. Canonicos semel in Anno eligatur Punctator in sacris constitutus, qui omni diligẽtia, & fide suo fungatur officio, nemini per acceptationem personarum gratificans, aut odio cuique præiudicium inferens; vtque euidentius sciat quanta sit obligatione adstrictus, volumus, vt cum ad tale munus per maiorem partem Capituli fuerit

ele-

electus, coram nobis vel nostro generali Vicario iuret, se id fideliter executurum, qui si postea aliqua fraude fuerit conuictus, grauiter punietur, quod totum in omnibus alijs Ecclesijs nostræ Ciuitatis, & Diœcesis inuiolabiliter obseruari, mandamus.

Cap. IX.

DEficientis cuiusque pœna sit granorum duorum pro qualibet vice, iuxta consuetudinem hactenus inter Canonicos obseruatam. Celebrante vero Episcopo deficientium pœna sit Carolini vnius, quæ pœna vt irremissibiliter, & facilius circa notatos, exigi valeat, mandamus tertio quoque mense eligi in eadem Cathedrali Capserium, penes quem omnes quotidianæ obuentiones tàm missarum, quam funeralium, & aliarum eleemosynarum detineantur, distribuendæ vicissim in fine trimestris, & tunc cum distributione ipsa antequam viritim partes assignentur punctorum cuiusque ratio ineatur, ac pœnæ nomine quicquid contra quempiam notatum inueniatur, ex eius portione detrahatur, detractumque in vnum redigatur; & inter omnes Canonicos distribuatur.

Cap. X.

QVod decretum est in superiori Capite volumus etiam seruari inter Parochos, qui cum substineant æqualiter onus suarum Ecclesiarum, ęqualiter interse diuidere debēt obuentiones, nec possit quisquam ex Parochis præter Capserium portionem aliquam in suo posse obtentam continere penes se vltrà viginti quatuor horas, sed omnia, vel penes Capserium, vel socio id contingenti tribuere teneatur sub pæna Suspensionis à diuinis eo ipso incurrenda.

Cap. XI.

CVm verò deceat, vt quiſque ſui muneris partes agnoſcat, & in noſtra Cathedrali Eccleſia omnis prorſus diſſententionis occaſio tollatur, cuiuſcumque dignitatis, vel perſonatus Capituli noſtri officium hic annotari, iuxtaque præſcriptam formam obſeruari volumus, & mandamus.

Cap. XII.

ARchidiaconus qui primam poſt Pontificalem in hac noſtra Eccleſia Cathedrali obtinet dignitatem, qui etiam Oculus dicitur Epiſcopi. cùm prima ſit dignitas, primum obtinet locum inter Capitulum & Clerum: Sitq; illi cura ad ordines beneficiaque, promouendos aut ad Sacramentalem Confeſſionem deputandos cum alijs Synodalibus examinatoribus examinare, inſuper prouiſos de quocumq; beneficio in Corporalem poſſeſſionem immittere, nobis Pontificaliter celebrantibus aſſiſtere, Capitulum, & Clerum in Caſibus à iure permiſſis Conuocare.

Cap. XIII.

ARchipresbyter, qui eſt ſecunda dignitas, ſecundum obtinet locum, & in Pontificali Miſſa nobis aſſiſtat; præcipuè verò curet, vt Sacramenta in Cathedrali Eccleſia optimè cuſtodiantur, quorum adminiſtratio ad ipſum potiſſimè, tum ad alios de Capitulo à nobis deputandos pertinet; Indulgentias, fæſtos dies, cæteraque populo publicè enunciet; libros itèm baptiſmales, & matrimoniales, ac mortuorum ipſe conficiat, & cuſtodiat.

Cap. XIV.

PRimicerius verò, qui in ordine eſt tertia dignitas, tertium habeat locum, ac primas nihilominus partes in primò loco teneat, cum cæteris præcipiendo, tàm etiam in Pontificali miſſa, & Veſperis, Gloria in excelſis Deo, & primas Antiphonas de more coram nobis intonando; Reliquas itèm Canonicis ſui primi Chori diſcretè canendas diſtribuat. Itèm deputet eos, qui in Pontificali, aut in Conuentuali Miſſa ſint cantaturi, vel baculum, aut Mitram, Crucem, vel cæreum, cæteraque huiuſmodi deferant; in publicis verò proceſſionibus locum cuique aſſignet.

Cap. XV.

CVſtos quarto ponatur loco; curæque ſit illi ſacrarum rèrum cuſtodia, atque vt Sacra vaſa, & veſtes, cæteraque ad Dei cultum deſtinata munda ſint, aptèque altaria ſolemni tempore congruentibus apparentur paramentis, neuè opportuna luminaria vmquam deficiant.

Cap. XVI.

CAntor quintum habeat locum, primas tamen partes in ſuo ſecundo Choro gerere debeat, eique incumbat, ſecundas Antiphonas & in Miſſis, & Veſperis Pontificalibus ſimbolum Apoſtolicum, & Hymnum intonare; atque hæc ſit inter ipſum, & Primicerium diſcretio, vt viciſſim primò Primicerius, ſecundò Cantor Antiphonas, Reſponſoria, verſus, Tractus & Gradualia recitent.

Cap.

Cap XVII.

THesaurarius sexto sedeat loco, huius erit officium obuentiones quascumque tam ordinarias, quàm extraordinarias inter Canonicos diuidere, exigere, fidumque de his libellum conficere.

Cap. XVIII.

MAgister Cæremoniarum qui pro tempore à nobis erit instituendus, singulas cæremonias in Cathedrali, alijsque Ecclesijs cum opus fuerit iuxta cæremonialis nouissimè à Fæl. Record. Clemente Pap. VIII. Editi præcepta obseruari curet, necessaria quæcumque maximè in Pontificali Missa præparanda iubeat. Rudes Clericos instruat, quando sit standum, sedendum, vel genuflectendum, quouè gestu in Choro mouendum, aut Prælato assurgendum, Euangelia, Epistolas, lectiones, aliaque canenda decenti thono decantare prouideat, & doceat. Canes, mendicos, pueros eiulantes, aliaque prophana ab Ecclesia eijci mandet.

Cap. XIX.

HEbdomadarius, aut qui missam Maiorem, vel vèsperas celebrat, tàm in Cathedrali, quàm in alijs Ecclesijs is sit, cui vltimo in tabella loco eius diei missa sit præscripta, excepta Quadragesima, in qua is missam canet, cui in pænultimo loco in tabella missa est præscripta. Prosubdiacono verò, & Diacono eidem deseruiant, qui proximi in eadem tabella cum eodem designantur, nisi fortè in huiusmodi officijs pro ordinis suscepti ratione alij sint Clerici adscripti; In maioribus verò anni festiuitatibus Cantante Missam Episcopo

pro

pro sub Diacono, & Diacono deseruiant vltimi Canonici.

Cap. XX.

VT autem vnusquisque cognoscat eam muneris partem, quam subiturus est, & se ad ea præcepta exequenda valeat præparare: Volumus vt Reuerendus nostri Capituli Cantor, vel Magister Cæremoniarum diebus Solemnibus, à primis Vesperis tabellam in sacrario proponat, in qua omnia, quæ circa celebrationem in sequenti hebdomada à singulis seruanda erint ordinatim descripta legantur.

Cap. XXI.

CAnonici omnes, cæterique Presbyteri, & Clerici nostræ Cathedralis Ecclesiæ in diuinis officijs, ac functionibus Ecclesiasticis peragendis prædicto Magistro cæremoniarum in omnibus obtemperare teneantur, sub pœnis nostro arbitrio infligendis.

Cap. XXII.

NVllus siue Sacerdotum, siue Clericorum in Ecclesia, & signanter in missis vel in Choro Zocculos, neque in eodem choro chirothecas habere audeat, aut præsumat, sub pæna librarum trium ceræ pro qualibet vice.

Cap.

Cap. XXIII.

VT omnia ordinatè, & compositè in Ecclesia Dei peragantur, præcipimus hebdomadarium, dum diuinum officium decantatur, sedere in Capite chori à parte Euangelij, nec indè dùm diuinum officium peragitur aliquo pacto discedere, nisi cum ad thuriferandum altare procedere debet; nec Canonici in Choro dum prædicta diuina cantantur, horas Canonicas priuatim, seù alia legere, vel recitare præsumant, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. XXIV.

QVod si Canonicorum quem piam ex legitima Caussa Matutinis seù vespertinis functionibus iàm incæptis ad chorum peruenire contingat, tunc flexis genibus antè altare in medio Presbyterij aliquantulum oret; deindè surgat, & Episcopo se profundè inclinet, tùm Concanonicos seipsum inclinando salutet, qui omnes ei assurgere debent; demùm qua decet modestia ad proprium locum accedat.

TITVLVS XIX.

De Officio Parochorum.

Cap. I.

CVM Parochi speciale sit munus inter Populum, & Deum extare mediatorem, pro Pace concilianda; atque adeò sacrificia propeccatis, orationes, & Vota Deo offerre, delicta populorum plangere, & Animabus ægrotis spirituales medelas adhibere; ideò memor se pro commissis animabus rationem redditurum, iuxta illud Prophetæ, Sanguinem Animarum requiram de mane tua, meminerit quanto studio, & Vigilantia tàm graui oneri ipsum incumbere oporteat. Præcipimus Igitur singulis nostræ Diœcesis Parochis, vt in sua quisque Parochia diù noctuque habitet, quò præstò sit occurrentibus Parochianorum casibus, atque infirmos inuisere, & pauperes, aliasque miserabiles personas verbo,& opere in Domino adiuuare valeat, odia & rixas inter eos componere, & perniciosa vitia cuius vis,studeat penitus explantare. Curet etiam Sacramenta rite administrare, ac populum fidei suæ commissum de ijs rebus, & institutis, quæ ad salutem necessaria sunt, instituere non desistat; diligenter agnoscat vultum pecudum suarum, & super gregem suum consideret, & quæ corrigenda, ac emendanda cognouerit, si ipse per se non possit, nobis significet.

Cap. II.

DIebus Dominicis aliquid de Euangelio ſemper exponat, quodſi in hoc verſatus non fuerit, breui vtatur ſermone; caueat autem nequid dicat, quod Veritati Euangelicæ repugnet, & vt huic ſuo muneri melius ſatisfacere queat, in lectione Cathechiſmi Romani ſit aſſiduus, & in ſtudio Spiritualium librorum verſatus.

Cap. III.

IN eiſdem diebus Dominicis à prandio ad ſignum Campanæ vel tintinnabuli per Vicos, & Plateas ſuæ parochiæ pueros & rudes perſonas conuocare procuret in Eccleſia, quos fidei rudimenta doctrinæ Chriſtianæ inſtituta breui Sermone doceat; eorumque parentes publicè hortetur, vt illos audito ſigno ad id efficiendum deduci faciant.

Cap. IV.

LIbros etiam infraſcriptos vnuſquiſque Parochus in ſua Parochiali Eccleſia conficiat ad præſcriptum noui Ritualis Romani, & in fronte cuiuſlibet rubricam, & annum annotet, quorum librorum originalia ſingulis Annis ad noſtram Curiam per eos tranſmittantur, retentis penes eos exemplis authenticis.

Liber baptizzatorum in quo baptizzati cuiuſque Parochiæ, parentum, compatrum, ac baptizzantis nomina, ac cognomina, Cum die & Anno natiuitatis clarè deſcribantur.

Liber Confirmatorum, in quò ſimul, & confirmati, parentum & patrinorum, ac confirmantis nomina, & cognomina ponantur.

Liber

Liber Coniugatorũ, in quo contrahentium nomina, & cognomina, matrimonium, testium, & notarij, annotationes item eorum dierum festorum, quibus denunciationes missæ fuerint factæ, legantur.

Liber Mortuorum, in quo similiter nomina, & cognomina, quouè die decesserint, & in qua sepultura conditi sint, & an testati vel intestati, & quæ pia legata fecerint, annotentur.

Liber Parochianorum siuè filianorum omnium vtriusque sexus cum eorum famulis, & Ancillis, & cuius ætatis, quiuè mortui sint Cruce signentur, & recentes nati addantur.

Cap. V.

TEneantur Parochi decimoquinto post Paschatis Resurrectionis die transacto, fidelem eorum notam exhibere, qui non confessi fuerint, vel non communicauerint ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ; nec aliquem ex odio, vel amore, aut aliqua humana affectione prætermittant, aut iungant, sub pœna suspensionis a diuinis eo ipso incurrenda, vt illos tanquam excomunicatos publicè denunciare valeamus.

Cap. VI.

ITem publicos blasphæmos, vsurarios, concubinarios, cæterosque facinorosos homines in eorum Parochijs fortè degentes, nobis nominatim deferre debeant, vt contra eos, quod sacri Canones decreuerunt, exerceamus.

Cap. VII.

DIebus festiuis non eat Parochus ad celebrandum in alia Ecclesia absque nostra licentia prius obtenta; non enim Mercenarius, sed Pastor est ouium, qui si à nobis hanc facultatem obtinuerit, tunc aliquem alium Sacerdotem relinquat, qui in sua Ecclesia Missam vice sua celebret.

Cap. VIII.

MIssas tàm pro Viuis, quam pro defunctis hora populo commoda, quoties ex debito onere tenentur, deuotè celebrent, moneantque plebem sæpe, vt ad illas audiendas in festis, præcipuè viduæ, Puellæ, famulæque conueniant, nec vllo pacto puellæ excusentur. Garrientes, aut quoquo modo obstrepentes tanto sacrificio, cui Angeli assistunt, benignè increpent.

Diebus Dominicis antè Maiorem Missam, aquæ benedictæ aspersionem demore faciant, festa, Vigilias, Indulgentias, quibus, quoue modo sint obseruanda, denuncient, ac vt mensas quotidie benedicant.

Cap. IX.

ET ne populus ignoret vigilias, & festos dies, aliaque supra Enarrata, mandamus omnibus inseruientibus quibuscumque Cappellis, intrà fines cuiuscumque Parochiæ quatenus sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda non audeant in eisdem cappellis celebrare antè completam missam Parochialem.

Cap.

Cap. X.

DEnique ità seipsos Parochi componere studeant, vt populo sibi credito vita, moribus, & exemplis placeant, suam apud omnes existimationem grauiter retineant, per domos, & Plateas importunè ne vagentur, nullius Seruitia, nullius negotia gerant, neque vile quid exerceant; Mulieres musicam non doceant, nec comitentur, vt is qui ex aduerso est, de illis malum dicere vereatur.

Cap. XI.

ET licet ad Parochi munus, qui pastoris officio fungitur, spectet quotidie oues suæ custodiæ deputatas, à ferarum proseruare incursibus, & ad statum prosperum fætu multiplicato perducere; humani enim generis hostis quoad viuimus numquam desinit, de interitu, & exitio nostro excogitare; semper enim circuit quærens quem deuoret; huic tamen muneri maiori cum solertia incumbere debet dùm aliquem ex suis parochianis graui morbo laborare conspicit; Diabolicus enim lupus ille vehementius omnes neruos extendit ad decipiendam ouem, Christi Sanguine Redemptam, & in Inferis lacerandam, cùm supremum eius vitæ diem appropinquare animaduertit. Sciat propterea Parochus nullo modo eius in infirmos sua Parochiæ muneri satisfecisse, quoties Sacramentum pœnitentiæ viaticum, & oleum sanctum eis impertierit; sed vbi supradicta sacramenta ægro ministrauerit, illum dum sensuum vsum non amisit breuibus, & suauibus etiam verbis, ad desiderium vitæ æternæ excitare debet, & ad spem de diuina Misericordia concipiendam. Itèm cum propè Moribundus est in illius animæ commendatione qua maxima potest animi pietate statas religiosas sanctasque preces recitare non desistat.

Quod si ab esse ab in firmo aliquando contingat, vel quia alijs graui-

grauiter ægrotantibus ſacramenta miniſtrare neceſſe habeat, vel quia neceſſarijs Parochialis curæ occupationibus alijs impeditur (quod per difficilè in noſtra Diœceſi occurrere poteſt, ex multiplicitate videlicet Parochorum qui in ſingulis ferè Parochijs ad ſunt) tunc, ea pietatis officia Parochus, qui dicitur Rector menſalis, à Comparocho, vel ab alio ſacerdote ſollicitè accuratèque omnino præſtari curet.

Moneant itidem Parochi domeſticos conſanguineos, qui ægroti curam habent, vt ne poſt extremæ vnctionis Sacramentum, quod infirmo ab ipſo fuit miniſtratum, corporis curam deſerant.

Cap. XII.

VLtimò præcipimus, nequis intrà Eccleſias Parochiales, vel quaſcumque etiam priuatas Cappellas, in quibus tamen diuina celebrantur, litanias, Roſarium B. M. Virginis, vel quaſcumque alias preces publicè cantare, & recitare valeat, abſque Parochi, vel alterius ſacerdotis, ſiuè etiam clerici probatæ vitæ aſſiſtentia de licentia proprij Parochi, præter quam in Oratorijs laicorum, ſub pœna excomunicationis.

Cap. XIII.

ET quia in anno milleſimo ſexcenteſimo octauo ſacra Congregatio reſcripſit Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo tunc exiſtenti, vt ad Vitandam multiplicitatem Parochorum, qui ferè in omnibus Parochijs huius Cauenſis ciuitatis ad ſunt, quod ſeruaretur quidam ordo ad cognoſcendum proprium paſtorem animarum, nempè quod deputaretur ex Parochis menſarius pro miniſtrandis Sacramentis, & vſu ſtolæ, & Rector annalis, qui curam gereret totius Parochiæ, prout ex litteris;

litteris; Et quia tùnc Parochi supplicauerunt quondam Illustrissimo & Domino Episcopo pro obseruatione dictarum literarum, & per eundem Episcopum fuit interpositum decretũ, prout infra; Ideò vestigijs dictæ sacræ Congregationis inhærentes, ac innouantes decretum mentionatum, præcipimus hac Synodali Constitutione, ab omnibus Parochis inuiolabiliter obseruari, sub poenis in eodem decreto contentis, quod decretum placuit hic totaliter inserere.

Molto Illustre, & Reuerendissimo Signore. Li Parochi & Curati delle chiese Parochiali di questa Città della Caua, benche per l'addietro indifferentemente habbiano seruito nelle loro Parochie, intorno all'amministratione de santissimi Sacramenti in modo, che per la Dio gratia si è fatto il seruitio di sua Diuina Maestà, & il giouamento del popolo à loro commesso, non dimeno per obbedire alla lettera della Sacra Congregatione che ordina douersi seruire per heddomada ò per mese, & per compiacere anco alla giusta e lodeuole voglia di Vossignoria Molto Illustre e Reuerendissimo, che con zelo si grande si sforza mettere in Osseruanza i decreti del sacro Concilio di Trento, si contentano per l'auuenire seruire nelle loro chiese settimana per settimana, ò mese per mese, come à lei piacerà di comandare nel modo che siegue.

Si cominciarà il mese dal più antico Curato di ciascuna Parochia, seguendo gli altri per ordine, & continuarà per sempre; il mensario per quel tempo ha da fare l'assistenza nella sua chiesa di giorno e di notte, e sia sua cura di amministrare i Santissimi Sacramenti al suo popolo, e fare tutto quello si spetta come curato per essere suo proprio à quel tempo l'vso della stola, non togliendo à Parochiani l'attione di ricorrere per l'amministratione del sacramento della penitenza solo a gli altri Curati non mensarij per loro deuotione, quali curati in tal modo chiamati non possino negare l'amministratione del Sacramento predetto tanto à gl'infermi, quanto à sani, & mancando si ascriua à lor Colpa; nel resto non si habbiano da intermettere col popolo,

ma lo

ma lo rimandino al mensario che per quel tempo è vero Parocho, & dal quale si han da riceuere tutti i santissimi Sacramenti. In Oltre si contentano, che in ciascheduna parochia si faccia il Rettore da anno in anno de i curati istessi, cominciando dal più antico, e seguendo per ordine, il quale anco habbia à fare il suo Mese quando li tocca nella sua chiesa, il cui officio sarà di hauer cura per quell'anno della sua Chiesa, che sia ben seruita, e che li parochiani habbiano li aiuti necessarij in tempo opportuno, e gli debbano vbbidire tutti gli altri Curati di sua chiesa nelle cose giuste, & necessarie alla detta Cura; egli solo per quel tempo possi sermoneggiare, e celebrar Messa, ò Vesperi nelli giorni solenni, ò altri con sua licenza, formare, & conseruare i libri de battezzati, confirmati, morti, di denuntie, e matrimonij contrahendi, e di far fedi, & si vorrà per quel tempo del suo Rettorato stantiare nella sua Casa contigua alla sua Parochia, resti ad arbitrio suo, & in somma li sia lecito fare, & Ordinare che se facci tutto quello, che si deue per honor di Dio, e giouamento del popolo; ma non intendono li estraordinarij essere per quel mese del mensario, ò per quell'anno del Rettore, ma se n'habbia à far cascia come per l'addietro, e diuidersi poi fra tutti nel fine del mese, ò in altro tempo conforme al solito. Presentata per Parochos, & Curatos infrascriptos coram Admodum Illustri, & Reuerendissimo Domino Episcopo Cauen. petentes, & supplicantes. Cauæ die decimo mensis Martij 1608. Io D. Gio: Domenico de Abbate Cappellano curato Confessore, & Io D. Marco di Marino Curato di Santa Maria de la Terra supplica, vt supra; & cumsubscriptione cæterorum Parochorum. Approbamus, & Confirmamus retroscriptas Capitulationes RR. Parochorum nostræ Caueñ Diœcesis habitas pro Executione decretorum Sac. Conc. Tridentini sess. 21. c. 4. Et sess. 24. c. 13. Et Vigore litterarum Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Sacræ Congregationis Episcoporum, & spontanea Voluntate

Supe-

ipſorum decernimus ab omnibus Parochis inuiolabiliter obſeruari, maximè quoad miniſterium Parochianis menſatim per ſingulos ſucceſſiuè exhibendum, ſub pœna librarum ceræ laboratæ viginti quinque pro prima vice tranſgreſſionis, triginta pro Secunda, & priuatione beneficii Curati pro tertia, & ita &c. ſub eiſdem pœnis adunguem obſeruari Mandamus. Fr. Cæſar Lippius Epiſcopus Cauen. in Viſitatione generali. Lectum latum ſub die 27. Menſis Martij 1608. D. Ioſeph. Can. Att. de mandato &c.

TITVLVS XXI.

De vita, & honeſtate Clericorum.

Cap. I.

CVM Clerici, quos ſuam in ſortem Dominus vocauit; tanta eniteſcere Vitæ ſanctitate, & morum honeſtate debeant, vt in illos tamquam in lumen ſuper candelabrum, Oculos laici conijcientes, eorum ſe ad exemplum, normamque componant: non immeritò eos præ cæteris decet, vt qua animi pietate, & ſanctimonia interius præfulgent, candem exterius habitu, ſermone, geſtu, inceſſuque teſtentur.

Cap. II.

VT igitur nihil in eis extrinsecus appareat, quod interiorem, qua præditi sunt, modestiam non præseferant, præcipimus, vt quicunque clericali nomine censentur, siuè in sacris Constituti, siuè in minoribus, aut prima tonsura initiati, seù quacumq; dignitate excellant, aut Ecclesiastica beneficia possideant, clericalem habitum talarem, suo ordini, professionique congruentem, & conspicuam tonsuram, seu clericalem coronam, octauo quoque die renouandam continuo gestent.

Cap. III.

IN Ecclesia vel processionibus semper deferant biretum nigri coloris, non quidem sordidum, vel incompositum, sed quod decorem, & honestatem præseferat sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Annulos aureos vel Argenteos in digitis non ferant, nisi eorum dignitas iurè illos requirat; neque ab eorum collo vel ante pectus aliquod pendeat, quod aut vanitatem, aut ambitionem ostendat sub pœna ducatorum sex, & amissionis annulorum vel rerum aliarum.

Barbam non sicariorum more in mento cuneatam, supra labra in retortos, longosque cyrros effluentem, sed ita aptè detonsam habeant, vt labiorum pili sumptione corporis, & Sanguinis Domini non impediant.

Pileis vtantur non turbinatis, aut breuibus giris, sed moderatis, & Romano more, vt vulgo dicitur, alla Romana.

Zamarras, seu Robbas, vt vulgo dicitur, flebella, fustes publicè non deferant, vt soccos, vel chyrothecas in Ecclesia, maximè in choro non habeant.

Collaria magna, turgida, vel elaborata, & quæ à collo ad humeros descendunt, non gestent, sed moderata, simplicia, non

crispa,

crispa, seu lactucata, & quæ per duos digitos ad collum reuo-luantur, gestent.

Omnis clericorum Vestitus sit nigri coloris, & laneus; sericum autem indumentum, & alterius coloris nulli liceat; nisi ijs quibus à iure est concessum.

Caligas nigri, vel violácei, fului, aut similis coloris, non rubei vel viridis, nec turgidas, aut in cisas, nec calceos in cisos, aut albos, nisi cera sint obducti, ferant.

Tutelas, curasue non suscipiant, nec querelas etiam citra pœnam sanguinis exponant, neque in quocunque foro, & Curia sæculari testimonium ferant, nec obligationem faciant absque nostra in scriptis licentia, sub pœna nullitatis actus, & viginti-quinque aureorum mulcta pijs vsibus applicanda.

A venationibus, fabulis, comedijs, hasti ludijs, choreis, Amatorijs cantilenis, commessationibus, & Ebrietatibus omninò se abstineant. Tabernas, & hospitia nullo modo ingrediantur, nisi inter facientes. Personati non incedant. Canes, & Accipitres non alant. Fæminas etiam nobiles, etiam consanguineas non affectentur. Proxeneticam non agant, nec laicorum negotia, aut famulatum, quòd est decori clericalis dignitatis valdè indecens, suscipiant; imò nec in Ecclesiasticarum personarum seruitijs vilia opera, aut officia exerceant, nec sordidis se immisceant.

Mulieres cuiuscunque ætatis, maximè suspectas, in seruitia non recipiant, nec domi cum illis cohabitent, aut consuetudinem aliquam, vltra secundum consanguinitatis gradum, habeant.

Scurrilia, aut ridicula publicè non efficiant, nec in fæminarum præcipuè conspectu testudinem, aut aliud musici instrumenti genus pulsent, vel musicè canant, nec in mensis deseruiant, aut adstent.

In mensis mutuas euitent propinationes; in principio eas benedicant, sumptoque cibo gratiarum actiones deuotè recitent.

Nullus clericus minor in Ecclesia sedeat in subsellis maiorum clericorum, nec sacerdotibus stantibus sedere præsumant.

Nullus clericalem habitum deferre, nec illum postea dimittere habeat absque nostra in scriptis licentia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Et vt laici distinguantur à clericis, mandamus, quod ipsi laici non possint deferre suttanam lungam sub pœna amissionis illius, & alijs nostro arbitrio infligendis, nisi in illius manicis deferant alettas, vt Vulgò dicitur, saltem per duos digitos latas, quas clericis omninò prohibemus.

Clerici quacunque dignitate, & ordine sint præditi pro curationem, Aduocationem, & causarum tàm criminalium, quàm Ciuilium patrocinium nòn suscipiant; mercaturam, Artem medendi non exerceant.

Qui in supradictis omnibus, aut eorum singulis deliquerint, vltrà pœnas appositas, viginti quinque aureorum pœna pijs vsibus applicanda mulctentur.

Cap. IV.

BAnnitos, exules, latrones, aut quosuis flagitiosos homines, hospitio non receptent, nec defendant, aut illis victum, aut vestitum præbeant, sub pæna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, prout in Constitutione Sixti V. quæ incipit, Dilecte fili, & alijs nostro arbitrio reseruatis.

Cap. V.

ARma nullius generis secum gestent, & deprehensi, vel visi cum pugionibus, cultris aculeatis, & sclopetis paruis, vulgò dicitur, (Pistole piccole, & pistole lunghe) pœna triremium ad tres annos puniantur. Deprehensi verò, vel visi cum archibugettis paruis, vel domi tenentes, vltrà pœnā triremium, sint ipso facto excommunicati etiam in foro interiori. Alia arma

nempè

nempè sclopeta, vt vulgo dicitur, à focile, portantes, pœnam ducatorum quinquaginta; sclopeta, à Miccio, pœna ducatorum Vigintiquinque, & armorum ammissione mulctentur.

Cap. VI.

LVdos quoscumque præcipuè alearum, & taxillorum clericis omninò prohibemus sub pœna ducatorum triginta pijs vsibus applicandorum pro qualibet vice, & alijs nostro arbitrio reseruatis; qui verò alios similibus ludis ludentes spectare audent, præsertim in locis publicis, pœna ducatorum sex pijs vsibus applicanda mulctentur.

Cap. VII.

LAicis verò eosdem ludos prohibemus diebus festiuis, & præcipue solemnioribus, ac tota quadragesima, cùm in dictis temporibus orationibus, ac spiritualibus exercitijs vacare Christi fideles debeant; Ad quod eo magis enixe hortamur, quò ex prædictis ludis blasphemiæ, rixæ, & contentationes, aliaque per multa scandala persæpe oriri soleant; Nec id temporis vllus audeat præbere domos, aut aliud ad ludum prædictũ proximam præbens causam. In Ecclesijs verò, vel in domibus eis contiguis, & circa eas per triginta passus, & præcipuè propè monasteria Monialium, omninò eosdem ludos prohibemus, sub pœna excomunicationis latæ sententiæ.

Cap. VIII.

AD Monialium monasteria, nullo modo accedant vt cum Monialibus loquantur, nec per seipsos, nec per interpositam

sitam personam, sub poena excomunicationis latæ sententiæ, nisi legitima Vrgente caussa à nobis, & cum licentia in scriptis obtenta; & tunc nec à Rota loqui valeant, sed tamen à cratibus sub eadem pœna.

Cap. IX.

OMnes Clerici maiorum, ac minorum ordinum, qui certæ Ecclesiæ seruitio non sunt adscripti, teneantur diebus festiuis, ac etiam ferialibus suæ Parochiæ deseruire, & diuinorum officiorum celebrationi interesse, & infra mensem alicuius Ecclesiæ seruitio à nobis adscribi curent, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. X.

PRima Tonsura, vel minoribus ordinibus initiatos, prouētu ex immunitate Gabellæ farinæ prouueniente priuamus, per nos applicando pijs vsibus, nisi aut Ecclesiæ, cui sunt adscripti omnibus festiuis diebus, & ferialibus etiam illis, quibus per hebdomadam sunt destinati, inseruierint, & singulis quibusque mensibus sanctissimis Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ refecti fuerint: & proindè mandamus affictatoribus Gabellæ farinæ, vt nullum clericum immunem à Gabella prædicta faciant, nisi præuia cartula nostri generalis vicarij, qui nec ipsam concedat, nisi præuia fide Parochi, siuè Rectoris, tàm de seruitio, quam de perceptione Sacramentorum quolibet mense, qui parochus, siuè Rector sub pœna suspensionis à diuinis eo ipso incurrenda de prædictis fidem veritatis faciat.

Cap.

Cap. XI.

CÆterum quia sunt nonnulli Clerici,qui beneficia simplicia, & etiam de Iure patronatus aucupantur, adeffugiendum præsertim laicale forum; quod liquidò dignosci potest ex beneficiorum tenuitate, & oneribus, qui persæpe sunt clerici, nomine tantum, re vero laici,nec habitum clericalem deferunt, & ad laicales actus crebro descendunt. Ad opportunum remedium afferendũ mandamus, & præsenti Synodali statuto præcipimus, vt quicumque clericus beneficiatus,qui per mensem continuum habitum clericalem, & tonsuram non gestauerit, hac Synodali vnica pro trina monitione præmissa, in eius contumaciam ipso facto beneficio priuatus existat; & si per alium mensem continuum absque decenti clericali habitu perseuerauerit, etiam Clericali priuilegio præsenti nostro Synodali decreto priuamus.

Cap. XII.

SAcerdotes omnes cuiuscumque gradus, & conditionis sint diebus Dominicis,& festis(cessante legitimo impedimento) missam celebrent, vt salutare,diuinũmq; hoc sacrificiũ pro viuis, atque defunctis offerentes, supremum Deo Opt. Max. cultum reddant;Diaconis vero & subdiaconis,bis saltem in mense,in minoribus autem constitutis saltem semel in mense communicent,vt præcedenti capite decreuimus.

Cap. XIII.

NVllus Clericus valeat pernoctare extra nostram Ciuitatem, absque expressa nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia, sub pœna ducatorum sex pijs vsibus applicanda.

TITVLVS XXII.

De Sacramentis in Genere.

Cap. I.

VT Sacramenta Ecclesiæ, quibus sub visibilibus signis inuisibilis gratia Dei continetur, & à quibus fidelium populorum salus pendet, & remissio peccatorum, gratiaq; cælestis, maxima cum veneratione, & timore Domini tractentur, neuè illius ministri (vti quondam sacrilegus Oza) iram Dei experiantur: Mandamus omnem penitus clamorem, deambulationem, risum, strepitum, & dissolutionem, & precipuè omnem Simoniæ labem, omnemque auaritiæ suspitionem abesse, vt quod gratis accepimus, gratis etiam communicemus, & non quæ ad pacem, & salutem animarum instituta sunt, aliquid, quod eorum repugnet ministerijs, immisceatur.

Cap. II.

CAueant igitur omnes curati, sacerdotes, ac sacrorum administratores, ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel signis directè, vel indirectè petant; laudabili tamen, & a sacris Canonibus approbata consuetudine quoad Parochialia iura, nihil ideo abrogari intendimus. Hanc etiam Sacramentorũ administrationem Parochi alteri Sacerdoti quam vis idoneo, absque nostra approbatione, minimè demandare valeant, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis; sed ipsi per se ipsos, & superpelliçeo, ac stola induti administrent.

Cap. III.

COntremiſcant Parochi,ne in mortali exiſtentes ſacramenta adminiſtrent, quia quamuis illorum efficaciam non imminuant, quæ ex latere D. N. Ieſu Chriſti ſumpſere Virtutem; ipſi tamen ſacrilegij reatum non euadunt, & minus excitantur fideles eorum ficta pietate.

Cap. IV.

IN ſacramentis adminiſtrandis hoc maximè eſt proponendum, vt ritus, & cæremoniæ, quas in illis adminiſtrandis, ac etiam in exorciſmis fontium, & ſponſorum benedictionibus Sancta Romana adhibet Eccleſia, obſeruentur. Vt autem hoc exactius peragatur, mandamus omnibus Curatis, vt in eorum Eccleſijs per ſe ipſos, vel per alium ad id idoneum ſaltem ſemel in hebdomada Miſſalis, Breuiarij, ac Romani noui Ritualis breuis lectio habeatur de cæremonijs, & ritibus obſeruandis, tàm in adminiſtratione Sacramentorum, quam in miſſarum celebratione, ac diuini Officij recitatione, ad quam lectionem, teneantur ſacerdotes, & clerici ſaltem in ſacris conſtituti conuenire, ſub pœna ſuſpenſionis, niſi alio, & iuſto legitimo impedimento fuerint obſtricti; quod etiam in Caſuum conſcientiæ collatione valdè optaremus exequi.

Cap. V.

CVratus, vel quilibet alius confeſſor, & ſacramētorum adminiſtrator, quamcumque diei, vel noctis hora vocatus fuerit ad aliqua ſacramenta adminiſtranda ſine vlla mora accedat, officiumque ſuum alacri animo præſtet, quod ſi eius negligentia aliquis ſine ſacramentorum ſuſceptione ex hac vita migrauerit,

O vltra

vltra reatum grauissimi sceleris, alijs etiam pœnis nostro arbitrio grauiter punietur.

Cap. VI.

AD Sacrorum administrationem nullus inposterum admittatur, qui formas, materias, & cæteras partes sacramentorum in promptu memoriæ non habeat; sicut etiam practicabiles, & magis communes casus (vt si contigerit non labatur) quos saltem ex rubricis eiusdem Ritualis ediscere possit.

Cap. VII.

SAcramentalibus quoque quæ pro materijs, & Vsibus sacramentorum tantum instituta sunt, nullo prætextu etiam pietatis, vel deuotionis abutantur, aut in medicandis infirmitatibus, tantoque magis pro superstitionibus, & maleficijs sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

TITV-

TITVLVS XXIII.

De Sacramento Baptiſmi.

Cap. I.

CVM baptiſmi ſacramentum ſit primum, & initium omnium ſacramentorum, quod propterea quaſi ianuam aliorum ſacramentorum ſacri Canones appellant, per quam datur nobis introitus ad militantem, & triumphantem eccleſiam; quo iuſtificati ab omni peccatorum ſorde in filios Dei renaſcimur, & coheredes Chriſti in vitam æternam conſtituimur; Aduertantur diligenter Parochi, ad quos ſacramenti huius adminiſtratio propriè ſpectat, quam adhibere teneantur diligentiam, ne vllus vnquam paruulorum ex abſentia, vel negligentia Parochi, ſine hoc tàm neceſſario ſacramento moriatur.

Cap. II.

SAcramentum hoc ſolemniter in Eccleſia proprius parochus vel alius ſacerdos de Epiſcopi, vel proprij parochi licentia ſuper pelliceo indutus, & ſtola miniſtret; Et cum baptiſmus non ſit iterabilis, & ab eo noſtra ſalus præſertim proueniat, curet Parochus præmanibus ſemper habere Rituale Romanum nouum à Fæl. Record. Papa Paulo V. editum, cuius ordinem & modum in omnibus ſeruet, ne aliquid erroris in materia, vel forma ipſum adminiſtrando, committat.

Cap. III.

INter missarum solemnia, vel alio commodiori tempore Parochus Populum doceat, quæ de peccato Originali, quod hoc sacramento deletur, sacra Tridentina Synodus proposuit.

Cap. IV.

CVm necessitas aderit baptizzandi puerum propter imminentem mortem, presbyter Diacono, & deinceps superior inferiori clerico, ijsque deficientibus vir mulieri minister præferatur, nisi forte baptizzandi forma non calleant digniores, & nisi honestas aliud suadeat.

Cap. V.

CVret omni diligentia Parochus vt infantes quam primum ad summum infra octo dies ab eorum ortu per obstetricem, vel aliam personam ad Ecclesiã deferantur pro salutari hoc sacramento suscipiendo, à qua sciscitetur diligenter Parochus, num ille sit baptizzatus, sub qua forma, & materia, quod si rectè inueniat factum, ne rebaptizzare, neque sub conditione præsumat, sed omissas tamen suppleat solemnitates; si vero viderit in ancipiti de baptismo pueri versari obstetricem, an ritè illi baptismus collatus fuerit, vel non, tunc liceat Parocho sub conditione baptizzare sub hac forma: si es baptizzatus, ego te non baptizzo, sed si non dum es baptizzatus: Ego te baptizzo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Cap.

Cap. VI.

OBstetrices omnes in sua Parochia existentes saltem semel in Anno Parochus ad se aduocet, easque instruat de forma Baptismi, docens eas præcipuè tria requiri in Baptismo, formam quæ est: Ego te baptizzo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen; Materiam, quæ est aqua Simplex, & elementaris; & intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Aduertant tantum in prolatione formæ, ita esse coniungendam ipsi materiæ, vt neque antè, neque post ablutionem, sed in ipsa ablutione hæc ipsa verba pronuncientur; ita vt eodem tempore vtrumque, & manus, & linguæ peragatur officium ab eodem, siue ab eadem. Obstetrices vero quæ prædicta ignorant, munus hoc exercere nullo modo permittat; Contumaces vero ad nos deferat, vt de opportuno remedio prouidere valeamus.

Cap. VII.

PArentes in Domino hortamur, Parochisque destrictè præcipimus, vt nomina, quæ infantibus baptizzandis imponentur, sic ab illis Ethnicorum abhorreant, vt non nisi sanctorum imponantur; quandoquidem rationi consentaneum est, vt illis eorum vitæ in exemplum sit pietas, in patrocinium quorum nomina susceperunt, & imitari in vitæ exemplo non pigeat, quos in nominum gloria sectari delectat: Id etiam aduertant Parochi in impositione nominum, vnicum tantum, siue simplex, siue duplum, & non vltra eis esse imponendum.

Cap. VIII.

ID quod sacris Canonibus antiquitus, & Sacra Conc. Tridentini Constitutione sancitum est, vt vnus tantum, siuè

vir,

vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna de sacro fonte baptizzatum suscipiant, inuiolabiliter obseruari præcipimus; susceptores autem, & compatres, à Parocho moneri mandamus, non modo de spirituali cognatione, quæ per baptismum inter baptizzantem, & baptizzatum, baptizzatique parentes, ac suscipientem, susceptum, eiusque parentes duntaxat, non autem inter maritum vel vxorem suscipientis, baptizzatique parentes contrahitur, quæque matrimonium contrahendum impedit, contractumque dirimit; Verùm etiam eosdem teneri fidei rudimenta susceptos edocere pueros, illosque Catholica fide, probisque moribus instruere.

Cap. IX.

IN Baptismo Parochus Compatres non admittat quemquam Regularem, excommunicatum publicè criminosum, vel eum, qui de præcepto Ecclesiæ de confitendo, & communicando præterito Paschate non satisfecerit: aut (nisi aliter necessitas suaserit) rudimentorum fidei expertem.

Cap. X.

IN Qualibet Parochiali Ecclesia fons Baptismalis patenti loco marmoreus, vel saltem lapideus eleuatus, tribus munitus tegumentis è ligno confectis, duobus ad instar pyramidis, quod ciborium appellant, medio interiori plano, ex parte substrata quæ aquæ superficiem intuetur, superiori alio, ex serico, siue lino, prout vires Ecclesiæ patiuntur; ita tamen duo lignea cohæreant lapidi, vt pulueri in fontem necubi aditus pateat, claueque sint obserata, vt omni qua decet veneratione aqua baptismalis solemni ritu benedicta seruari possit.

Intus

Intus vero tabella intermedia lignea reponatur, in qua ſacra olea, vaſculum ſtamneum cum pelui ſaltem cretacea, ad aquam in pueri caput infundendam cum bombice aſſeruentur; ſitque in interiori ciborio forma baptiſmi affixa in carta bombacea deſcripta. Ad ſit etiam vaſculum Argenteum, vel ſaltem ſtamneum, ſerico coopertum pro oleo infirmorum, ab alijs omnino ſeiunctum. Sacrarium item decenter extructum ſit propè fontem baptiſmalem; illudque operculo ligneo, & claue obſeratum perpetuo retineatur.

Cap. XI.

SEruetur etiam in ipſo fonte, vel in Arca Parochi liber in quo baptizzantis manu, annus, dies, baptizzantis, baptizzati, parentumque eiuſdem baptizzati, ac ſuſcipientium nomina, & cognomina ad præſcriptum noui Ritualis Romani deſcribantur; cuius originale, vel ſaltim authenticum exemplum ad nos quot annis deferatur in noſtro Archiuio conſeruandum, prout ſuperiori in titulo de Officio Parochorum præcepimus.

Cap. XII.

ET ne ad pietatis opus inſtituta, in ſacrilegiòrum vſus prophanis manibus conuertantur, diſtrictè præcipimus, ne parochi ſal exorcizzatum, mappulam, candelam, & aquam, quæ baptiſmi miniſterio inſeruierunt, domum ab obſtetricibus, vel alijs deferri permittant, ſed aquam in ipſo ſacrario proijciant, reliqua vero penes ſeipſos retineantur; imo diligenter curent, nequid ſupra ipſos infantes, quod ſuperſtitioni deſeruire poſſit, inueniatur.

Cap.

Cap. XIII.

DEnique moneant Parochi puerperas, vt cum primum domum exierint Deo gratias acturæ de prole suscepta & sacerdotalem accepturæ benedictione Ecclesiam adeant, quò tempore sub grauissimis pœnis illis prohibeant, ne infantes antè quintum decimum mensem expletum in lecto ob suffocationis periculum secum retinere præsumant.

in aliis nobis ...

Cap. XIV.

NOn permittant Parochi nobis, vel nostro Generali Vicario inconsultis fidem ætatis baptizzatorum à libro extrahi, & consignari sub pœna ducatorum decem pijs vsibus applicanda, nisi ad instantiam ipsorum baptizzatorum, vel eorum parentum.

TITV.

TITVLVS XXIV.

De Sacramento Confirmationis.

Cap. I.

Confirmationis Sacramentum ab Episcopo tantum posse administrari Sacri Canones, & Tridentina synod. testantur, illiusque est conferre specialem gratiam, scilicet, vt fideles post susceptũ fidei Sacramentũ signaculo in fronte per vnctionẽ suscepto, Spiritus Sancti gratia muniantur, ad audacter Christi nomen confitendũ corã hominibus, vt Christus illos profiteatur suos, coram patre cæleste; qua sacra vnctione, licet caro signetur in fronte, anima tamen intus consecratur, atque mens munitur ad colluctandum spiritualibus nequitijs. In Baptismo enim regeneramur ad vitam; Post baptismum verò per Chrisma confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur; per confirmationem verò corroboramur.

Cap. II.

AD tantum ergo Sacramentum, vt digni accedant Christifideles, aliquot ante diebus moneat Parochus populum, quo die erit administrandum, quæ vè ad illius dignè susceptionẽ obseruanda. Minores triennio, & adulti, qui vsum habent rationis, nisi prius confessi, vel saltem contriti, ac rudimenta fidei sciant, non admittantur.

Cap. III.

IN Patrinos non admittantur Religiosi, nec qui confirmatione prius non susceperint, neque excommunicati, suspensi, & interdicti, aut Criminosi, vel quoquomodo inhabiles. Doceantque Parochi, quæ in baptismo diximus, scilicet vt vnus vel vna, vel saltim duo scilicet vnus, & vna in confirmatione teneant, inter easdemq; personas tantū spiritualem cognationem contrahi, quæ in baptismo contrahitur.

Cap. IV.

SImplices Clerici absque nostra expressa licentia in confirmatione aliquem tenere non debeant, & Laici, vnus vnam tantum confirmando teneant, & fæminæ fæminas, & masculi masculos, nisi aliud nobis visum fuerit.

Cap. V.

COnfirmandi ferant fasciam, quam sacro iam chrismate delibuti frōti applicent; nec eam nisi quatuor post horas indè detrahant, & commutent, & non nisi à presbyteris ad id deputatis; bombicis combusti cineres in sacrarium proijciantur.

Cap. VI.

LIber item conficiatur, in quo confirmatorum, confirmantium, patrinorū nomina, & cognomina describantur, sicut prædictum est de baptizzatis.

Cap.

Cap. VII.

DOceant præſertim Parochi Sacramentũ hoc indelebilem in Anima imprimere characterem, ſignũ ſcilicet à Deo Animæ in huius Sacramenti ſuſceptione impreſſum, perpetuoque manens, vt propterea Sacramentum hoc iterari non poſſit; & Ideò caueant omnes, qui ſe confirmatos ſciunt, ne ad hoc Sacramentum denuò ſuſcipiendum accedãt; Maximum enim committerent ſacrilegium.

TITVLVS XXVI.

De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

Cap. I.

TRemendum hoc, & admirabile Euchariſtiæ Sacramentum à Domino noſtro Ieſu Chriſto ab hoc mundo ad Patrem diſceſſuro inſtitutum, vt ob nimiam erga fideles dilectionẽ oſtenderet, memoriam faciens ſuorum mirabilium, voluit à nobis ſumi tanquã ſpiritualem animarum noſtrarũ cibũ, quo aleremur, & confortaremur; quod tantò Sanctius à nobis erit ſumendum, quantò præſtantius eſt cæteris Sacramentis; Euchariſtia namque non ſolum eſt Sacramentum, ſed & authorem omnium Sacramentorũ continet; & ideo ad illud ſuſcipiendum

dum maxima cum cordis contritione, corporis castitate, atque etiam animi puritate quisque accedere studeat, probans in primo se ipsum, ne, si indignè sumat, iudicium sibi manducet, & bibat.

Cap. II.

DOceant Parochi plebem latriæ cultum, qui tantum Deo vero debetur, huic Sanctissimo Sacramento sanctitatis authorem & fontē continenti, esse exhibendum, & sub speciebus panis, & vini, verum Iesu Christi corpus, & sanguinem, cum anima, & diuinitate, esse credendum, & adorandum.

Cap. III.

VT quo fieri potest à nobis honore & diligentia præstantissimū hoc Sacramentum custodiatur, præcipimus omnibus ecclesiarū præpositis, etiā regularibus, vt illud in maioribus prædictarum ecclesiarum altaribus collocetur, nisi aliud ob necessariam, vel grauem aliquā caussam nobis videatur; illudq; sub baldachino ligneo, intra tabernaculum deauratum bene septū, ac munitum non humidum, vel immundum, intus serico stratū, eiusdemque, si fieri potest, materiæ foris conopeo. Pixides etiā duæ extent, aureæ vel argenteæ, altera pro conseruandis particulis consecratis, ad Christifideles communicandos; altera pro conseruanda Hostia integra consacrata, quæ corporale mundum pede præmant, in ipso tabernaculi pauimento, desuperque serico tegatur tensoriolo prætiosiori, clauibusque penes Parochum retinendis perpetuò claudatur.

Cap. IV.

TAbernaculum autem vacuum ſit à reliquijs, & vaſis ſacrorum oleorum Criſmatis, cathecumenorum, & infirmorũ, ſed alibi ſeorſum à Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento reponentur. Cùm enim diuerſum ab hoc Sacramento cultum requirant, ea ſimul cum hoc Sacramento conſeruari non decet.

Cap. V.

ANte ipſum tabernaculum vna, vel plures lampades diù, noctuque ardeant, & Octauo quoque die particulas non pauciores quinque de alijs recentibus hoſtijs renouentur, deſumptis prius ſubiacentibus fragmentis.

Cap. VI.

VT anterior ornatus interiorem præſeferat, præcipimus ne Sacerdotes tàm magnum, & admirabile Sacramentum adminiſtrent, niſi ſuperpellicea induti ſint, & ſtola, & in altari ipſo, quod munditijs vndique reſplendeat; duo ſaltèm ardeant luminaria ex cera alba, præmiſſis de more generali confeſſione, & abſolutione; caueantque vt nonniſi per miniſtrum cotta veſtitum, & vaſe vitreo, quod calicis figuram non habeat laicis ablutio porrigatur, ne illi arbitrentur ſub vtraque ſpecie communicari.

Cap. VII.

CAueant Sacerdotes, & quicumque alij Clerici nè quod vas, vel capſulam pro eleemoſyna à communicandis vel communi-

municatis conferenda proponant; omnis enim Auaritiæ suspitio, & vmbra præcipuè in huius Sacramenti ministerio est fugienda.

Cap. VIII.

HOrtentur suos Parochianos Curati ad frequentem huius Sacramenti sumptionem, & diligenter inculcent præceptũ Sanctæ Matris Ecclesiæ, ne vltrà Annum illud prorogẽt, sed in Paschate scilicet à Dominica Palmarum inclusiuè vsque ad Octauam Pascatis similiter inclusiue, in propria Parochia, vel in cathedrali Ecclesia id peragant, neminique intra id tempus fas sit in alijs Ecclesijs etiã quorumuis regulariũ hoc Sacramentum pro adimplendo præcepto sumere, absque nostra expressa licentia; eisdemque regularibus quibuscumque ministrari, sub pœnis in Clementinæ Religiosi de priuilegijs, & excessibus priuilegiorum, ac etiam sub interdicti pœna; qui verò præcepto Ecclesiæ prædicto elapso eo tempore parere contempserint, pœnis cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentiæ, & Remissione subiaceant.

Cap. VIIII.

ADolescentes siuè mares; siue fæminæ non admittantur prima vice ad recipiendam sacram Cõmunionem nisi prius diligenter fuerint a proprio Parocho examinati, an eo iudicio, & discretione polleant, vt communicando intelligant quid agant, quibus etiam insinuet, eos deinceps teneri Ecclesiastico præcepto de communicando semel tantũ in anno tempore Pascatis: nec non erudiantur de fide huius Sacramenti, de præparatione, & de modo dignè sumendi.

Cap.

Cap. IX.

MVlieres seorsum à viris tempore Paschatis, & quocumque alio tempore, quo frequens populus communionem sumit, vbi pro Ecclesiæ amplitudine licuerit, corpus Christi sumant, vt ne modo non se inuicem tangant, sed si fieri potest, nec se conspiciant diuersis locis, & diuerso tempore communicantes.

Cap. XI.

VT fraudibus & malitijs hominum occurratur, Parochus, si qui de ipsius cura Pascali tempore absfuerint, omninò intelligat, statim ac fuerint reuersi, & certior ab illis fiat, quo loco quo tempore cõmunicauerint per fidem authẽticam Sacerdotis, qui illum communicauit; quod si id præstare nequiuerint, intra octo dies præceptum Ecclesiæ adimpleant, alioquin nobis statim significet, vt pro nostro officio contra ipsos procedamus.

Cap. XII.

FAcinorosi homines, veluti publici vsurarij, Blasphemi, concubinarij, & alij publici peccatores, quos iure pænituisse nõ constet, ab huius præstantissimi Sacramenti perceptione omnino repellantur, sicuti etiã qui post aliquot admonitiones prima fid ei rudimenta perdiscere non curauerunt; cumque Christifideles ad illius perceptionẽ accedent, meminerint ad panem Angelorum manducandum inuitari, & deindè demissa facie, humili gestu, armis depositis, chirothecis abiectis, vestituque modesto, ac præcipuè mulieres, fucis, cæterisque inanibus ornamentis omissis, accedant.

Cap.

Cap. XIII.

PArochus infirmum decumbentem communicaturus: prius ipſum adeat,& ab illo, vel eius conſanguineis, & familiaribus inquirat, num ille vomitum, nauſeam, ſiue aliam faucium, vel ſtomachi indiſpoſitionem patiatur, quæ impedimento ſumptioni eſſe poſſit; tum vocato ſigno cãpanæ populo, qui debitũ præbeat famulatum, adhibita vmbella, & Clerico cotta induto, tintinnabulum, rituale, aſperſorium, & corporale ſuo inclusum loco geſtante, & ſubſequente populo cum luminibus, & intorticijs ipſe procedat ſuperpelliceo, ſtolaque indutus, pyſſidẽ & cũ Sacram. vtraq. manu deferens, Hymnos & Pſalmos recitans, prodeat nuſquam circumſpiciens, neminem inter deambulandum ſalutans, ſed deiecto in terra, vultu, capite denudato, inceſſu graui,& toto corpore prębeat ſingulare pietatis exemplũ; humeros ſericeo tegat velo, cuius extrema parte ſacram cooperiat pyxidem, intra quam ſaltim duæ ſint particulæ conſecratæ, altera ab infirmo ſumenda, altera ad Eccleſiã reportanda. In reliquis ſequatur Parochus omnia ex quæ in Romano Rituali docentur; Poſtremò ad Eccleſiã eodem ordine ac veneratione reuertatur, vbi denunciata aſſociantibus Indulgentia, & à nobis etiam quadraginta dierum, Pyxide ſacra illos benedicat & dimittat Sacramento ſuo loco recondito.

Cap. XIV.

ET vt tantum Sacramentum, maiori, qua poterit veneratione ad infirmos deferatur, præcipimus, vt in qualibet Parochiali noſtræ Diœceſis, Eccleſia, in qua hactenus ſocietas Sanctiſſimi Sacramenti minimè eſt inſtituta, deinceps inſtituatur, ad hoc vt præſtò ſint cum intorticijs, cæreiſque accenſis ad illud aſſociandum, & tertia Dominica cuiuſlibet menſis per Ec-

cle-

clesiam fiat processio, cum delatione Sanctissimi Sacramenti ad excitandam deuotionem & fidem erga diuinum hoc Sacramentum.

Cap. XV.

ADuertant diligenter Parochi, ne quis infirmus sine hoc salutari viatico in sua Parochia decedat; cùm vero infirmus accepto viatico aliquot dies in eadem infirmitate superstes, denuò sacram communionem petierit, id sibi concedatur non per modum viatici, dummodo à primo viatico, ad aliud adsit distãtia sex, vel octo dierum; si vero infirmus ob aliquam indispositionem non poterit Eucharistiam sumere, prohibemus omninò, ne ostendatur Sacramentum ad illud adorandum, prout sacra Congregatio rescripsit Archiepiscopo Panormitano his verbis. Cardinales Tridentini Concilij interpretes Amplitudo tua consulit, per libellum, cuius exemplum accipiet cum his literis, An Sacrosanctam Eucharistiam liceat deferre ad ægrotantes, qui morbi grauitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent osculari. Cardinales censuerunt hanc consuetudinem prorsus esse abolendam, ita quod de illorum sententia, atque ex auctoritate SS. D. N. Tuæ Amplitudini mando, ne istiusmodi abusum serpere longius patiatur, sed omnino tollatur decreto 9. Nouembris 1571.

Cap. XVI.

PIum, ac Summa Religione plenum in Dei Ecclesia introductum illum morem diligentissimè obseruari præcipimus, vt, quotannis præexcelsum hoc venerabile, ac diuinũ Sacramẽtum, peculiari ipsius die festo, ac etiam, quandocumque pro aliqua

Q grauі,

graui, & publica necessitate imminente in hac nostra Ciuitate, & Diœcesi, singulari deuotione reuerenter, & honorificè in processionibus publicè circumferatur, ac etiam, vt moris est, per totam octauam, & tertiam quamlibet dominicam cuiuscumque mensis per cathedralem, & alias Parochiales eccles.

Cap. XVII.

AD hanc sacram solemnitatem Corporis Christi Parochus hortetur populum, vt præmissa peccatorum confessione Eucharistiæ Sacramentum humili deuotione suscipiat, venerationem cum ipsius fructu coniungendo; ipsa die, & qui possunt per octauam Missæ sacrificio, ac diuinorum officiorum recitationi intersint, vt indulgentias consequantur ab Vrbano Quarto, Clemente Quinto, Martino Quinto, & Eugenio Quarto elargitas vt infra.

Ieiunantibus pridie solemnitatis Corporis Christi concesserũt centum Annos Indulgentiæ.

Illis, qui primis Vesperis intersunt, vel celebrationi Missæ solemnis festiuitatis Corporis Christi, similibus centum Annos.

Eandem concesserunt illis, qui secundis Vesperis eiusdem festiuitatis interfuerint.

Qui primæ, tertiæ, sextæ, & nonæ, ac Completorij officium audierint, pro qualibet horarum quadraginta annorum Indulgentiam consequetur.

Qui per octauam recitationi prædictorum officiorum aderint, centum Annorum Indulgentiam obtinebunt.

Cap. XVIII.

AD hanc processionem conueniat vniuersus Clerus & Populus; Regulares quoque cuiusuis ordinis, & omnes laicorum societates sub pænis in generali nostro edicto contentis.

Cap. XIX.

IN hac solemni processione non deferantur Sanctiss. Reliquię, vel alia quæcunque sacra, sed solum Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum maiori qua poterit festiuitate, apparatu, solemnitate, & reuerentia intrà tabernaculum congruæ magnitudinis ex argento, vel alia æris materia deaurata confectum, spherica forma, chrystallo, vel vitro perlucido vndique occlusum deferatur; vt ab omnibus videri, & adorari possit, cuius parua lunula, quà Eucharistiæ Sacramentũ sustinetur, ex argento deaurato ita fiat, vt si quæ in illa remaneant fragmenta, facile colligi possint.

Cap. XX.

EOdem tabernaculo vtãtur Parochi in oratione quadraginta horarum, quas post solis occasum omnino dimittant, nec vllo pacto, caussaue prorogent, vt quæ ad maiorem Dei cultum sunt inducta, contrarium non operentur effectum; & hoc sub pæna suspensionis à diuinis, quo ad Rectores Ecclesiæ.

Cap. XXI.

VMbella, ſub quà SS.defertur Euchariſtiæ Sacramentum, vel in publicis proceſſionibus, vel ad infirmos nullo modo inſeruiat pro benedicendis nuptijs ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis eo ipſo incurrenda.

TITVLVS XXVI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. I.

TANTA eſt Dei immenſa bonitas, & Miſericordia erga genus humanum, vt eius infirmitati, ac imbecillitati diuerſis modis ſubuenire nunquam deſtiterit; cognoſcens enim figmentum hominũ non ſolum eorum lapſibus, per Baptiſmi gratiam ſubuenire dignatus eſt, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpem vitæ æternæ reparauit, vt qui dona regenerationis violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſionem peccatorum per pænitentiæ Sacramentum (quod meritò ſecunda poſt naufragium tabula appellatur) peruenirent. Cum igitur frequentiſsimus ſit lapſorum poſt baptiſmum numerus, frequentior etiam debet eſſe & huius tanti beneficij vſus; etenim huius Sacramenti pœnitentiæ tanta eſt neceſſitas, vt toties peccata confiteri oporteat, quoties poſt baptiſmum lethaliter peccantes Dei miſericordiam conſequi volumus, ne damnemur.

Vndè Parochos monemus, vt ſuas ſibi commiſſas oues doceãt efficа-

efficaciam huius Sacramenti, & simul hortentur, vt quò frequentius possint per talem pænitentiam se Deo concilient, enixeque curent, vt sui Parochiani saltem semel in Anno peccata sua proprio Sacerdoti, vel alteri à nobis delegato iuxta præceptum S. Matris Ecclesiæ confiteatur, & Paschate cōmunicent. Qui enim hoc ipsum per totam Pascatis octauam adimplere contempserint, nos ordinaria, ac præsentis constitutionis auctoritate eos,&eorum quemlibet ex nunc pro tunc excōmunicationis sententia innodamus; eosque sic excommunicatos debito tempore publicè per cedulones denunciabimus.

Cap. II.

QVamuis presbyteri in sui ord'ne à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decreuit tamen Sancta Tridentin. Synod. Nullum, etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut per Episcopū per examen (si videbitur necessarium) aut aliàs idoneus iudicetur. Præcipimus igitur pro prædicti decreti inuiolabili obseruatione,vt nullus Sacerdos, siue Sæcularis,vel Regularis etiā exemptus, & intra fines nostræ Diœcesis existens Confessiones nostrum subdictorum, vel etiam externorum in nostra Ciuitate, & Diœcesi existentium audire præsumat sub pœna suspensionis à diuinis eo ipso incurrenda, sine approbatione in scriptis, & licentia habita, quæ nemini concedatur, nisi præuio examine, ac probatæ vitæ, & scientiæ esse reperiatur. Regulares verò etiam cum literis suorum Superiorum.

Cap.

Cap. III.

QVia Iure optimo fuerunt distinctæ Parochiæ, ac vnicuiq; gregi Pastor proprius assignatus, vt suarum quisque ouium curam habeat, ne ordo ecclesiasticus confundatur; Mandamus, ne Parochi vnius Parochiæ subditorum confessiones alterius Parochiæ audire præsumant, nisi de nostra, vel proprij Parochi licentia.

Cap. IV.

COnfessarij omnes nostræ Diœcesis mulierum confessiones non audiant alibi, quam in ecclesia, in loco conspicuo, in confessionalibus sedibus ad id confectis, nec ante solis ortum, nec post pulsatam de sero salutationẽ Angelicã sub pœna suspẽsionis eo ipso incurrenda, extra tamen casus necessitatis, & excepta nocte Natiuitatis Domini, & tunc etiam cum pluribus luminibus, & loco patenti, vt confessarius, & mulier pœnitus à Populo conspici possit; & confessionales illæ sedes non in cappellis, sed in publico Ecclesiæ loco pateant, ita quod ex eis, & confessarius, & pœnitens apertè conspiciantur, interiecta tamen tabula, cum crate ferrea, vel lignea cum foraminibus strictoribus, ita vt digitus Sacerdotis, vel pœnitentis in ea capere non possit. Prohibemus omnino confessarijs, ne dum confessiones ipsarum milierum audiunt flabella in manibus teneant.

Confessor verò, qui suam spiritualem filiam carnaliter cognouerit, quod Deus auertat, nullo modo eam ad eius confessionem audiendam inposterum admittat, sub pœna suspensionis eò ipso ab audiendis confessionibus; Quo casu, quacumque auctoritate audiendæ ipsius filiæ spiritualis sic cognitæ confessarium ipsum ex nunc pro tunc priuamus, ac spoliamus.

Cap.

Cap. V.

COnfessarij quicumque non stando, sed in sede tamquam pro tribunali Iudices sedendo confessiones audiant, sintq; superpelliceo stolaque induti, bireto non pileo capite contecto. Pœnitentes verò modestè, & deuotè genibus flexis, capite aperto, demissis oculis verecundè, ac manibus iunctis, quod erit contritionis signum, suo Patri, ac medico spirituali, animæ plagas ostendant, ordine peccata omnia detegentes, quod debitam profectò animi præparationem, atque peccatorum discussionem iudicabit, nec vultum confessoris aspiciant, sed à latere genuflectant, ita vt se ipsos accusantis speciem præseferant.

Cap. VI.

VT etiam querelarum & scandalorum occasio pænitus tollatur, studeant confessarij, nè pænitentis cuiusquam audire peccata prius incipiant, quam de confessionis impedimento interrogauerint, nè si eum à se, quem absoluere non poterunt, cognitis eiusdem criminibus dimittant, malitiosè id factũ putetur; sed isto casu paternam adhibeat charitatem, vt consolatus discedat, reuersurus suo tempore ad obtinendam absolutionem ab eodem confessario, propter facultatem illi attributam, vel aliàs suæ ipsius saluti aliquando prospiciat: aduertat præcipuè confessarius, an pænitens sit suę Iurisdictioni subiectus, an excõmunicatus, vel alia censura Ecclesiæ innodatus, an habeat peccata Sedi Apostolicæ, vel Episcopo reseruata, an propositũ abstinendi à peccatis habeat, an ex aliqua domestica occasione, & conuersatione ad peccatum prouocetur, quàm euitare nolit; in quibus casibus, & alijs huiusmodi non erit vlterius in confessione progrediendum, sed humaniter pænitentem à se dimittant.

Cap.

Cap. VII.

HAbeant penes seipsos confessarij etiam Regulares notulam casuum nobis reseruatorum, vt infrà; constitutiones Synodales, excommunicationes publicari solitas in die Cænæ Domini in nostra Cathedrali, ac etiam Bullam Cænæ Domini, teneantque penes se etiam aliquos approbatos authores de casibus conscientiæ ex professo tractantes, & Parochi etiam habeant Posseuinum de officio Curati, quæ omnia nobis, vel nostro Generali Vicario præsentari volumus; quique ijs caruerit, approbari ad Confessiones audiendas omnino prohibemus, casusque nobis reseruatos in aliqua cartula, in quolibet confessionali sede affigi mandamus.

Cap. VIII.

COnfessarij sæculares, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda ad audiendas infirmorum confessiones minimè accedant, absque nostra, vel proprij Parochi licentia, excepto necessitatis casu, sed hoc munus præcipuum sit Parochorum, vel confessariorum in Cathedrali Ecclesia deputatorum, quibus districtè precipimus, vt cum aliquem ægrotare nouerint, illum sæpius visere, ac piè, Christianèque monere, & salutis monita præbere non desinant. Mulierum verò infirmarum confessiones non audiant ostio cubiculi clauso, sed aperto, & patenti cubiculo, ita t à domesticis, & confessarius, & mulier infirma pænitens conspici possint, eadem pœna suspensionis eo ipso incurrenda.

Cap.

Cap. IX

MEdici cùm primum ad infirmos accesserint; eos de confessione statim facienda admoneant, nec tertiò inuisant non confessos, sub pœnis in Constitutione Innocentij III. contentis, quas nos contra eos cotinuuò exequi curabimus.

Cap. X.

REgularis vero à nobis approbati, vocati ad audiendas confessiones infirmorum teneantur antequam audiant dictas confessiones, vel saltem eodem die id Parocho manifestare, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus, fidemque infirmo relinquant se ipsius confessionem audiuisse, & absolutionis beneficium impertijsse, ex decreto Sacr. Congregationis Episcopo Vigleuanen. 18. Februarij 1586. Et Episcopo Senogallien. 22. Ianuarij 1616. in hæc verba. Cum Curatus Scapezzan apud Sac. Congregationem conquereretur, quod fratres S. Francisci minoris obseruantiæ reformati, confessiones Parochianorum suorum ægrotantium, absque eius licentia audiunt, Sacra Congregatio respōdit, dictis fratribus id prohiberi nō posse, dūmodo ab ordinario prius approbati existant, & posteà quā infirmorum confessiones audierint, statim dictum Curatum certiorent. Extat etiam aliud decretum generale sub die 1. Iulij 1606. in hac verba. Non debent ordinarij impedire Regulares approbatos ad audiendas confessiones, quo minus illas audire possint in domibus pænitentium ægrotorum, quando ab eis vocantur; verum præcipere possunt ordinarij sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones, quod Regulares huiusmodi infirmorum audita confessione, eadem die ipsos certiores reddant.

Cap. XI.

CAueant omnino confessarij, ne verbo, aut signo, alioue modo, dum confessiones audiunt, aut extra confessiones peccatum prodant, sub pœnis in Sac. Can. statutis; si vero ex delicti qualitate, vel alia quauis caussa visum fuerit confessario negare, vel differre cõfitenti absolutionem, ne adstantes scandalo afficiãtur, erecta confessarius manu supra pœnitentis caput, pronuntiet secretò Pater, & Aue, ac si eum absolueret, seque absolutionis sententiam non protulisse, illum faciat certiorem.

Nec in confessione audeat confessor sub pœna Sanctæ Obedientiæ aliqua ad confessionem non pertinentia immiscere, ne tanto Sacramento iniuria fiat, & pœnitentem à conceptione peccatorum doloris prophanis retrahat verbis.

Cap. XII.

VT vero tàm salutare pœnitentiæ Sacramentum quàm religiosissimè, ac decentissimè ministretur, omnemque vel Auaritiæ ac simoniacæ labis suspitionem tollamus; caueant omnino cõfessarij, ne (quærentes quæ sua sunt) pœnitentias pecuniarias sibimet applicandas, aut à se distribuendas, etiam sub prætextu, quod res sit restitutioni obnoxia, neque votorum commutationis occasione, aut Missarum celebrationes pœnitentibus imponant, à quibus nihil prorsus, quod lucrum temporale, vel quid simile sapiat, petere, vel exigere audeant, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus eo ipso incurrenda: quod liberè tamen ex charitate à pœnitẽtibus sibi collatum fuerit recipere possunt; vt plurimum autem ieiuniorum, peregrinationum, & orationum pœnitentias imponant.

Cap.

Cap. XIII.

DEnique præſenti decreto præcipimus,vt nullus cõfeſſarius ſiuè ſæcularis, ſiue regularis,à caſibus nobis reſeruatis vt infra abſoluere præſumat ſub pœnis contentis in decreto Sacrę Congreg. emanato, ſub die nono menſis Ianuarij 1601. & declato 26. Nouembris 1502. abſque noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij licentia, præter mortis articulum, & eo minus à reſeruatis Sanctæ Sedi Apoſtolicæ.

CASVS RESERVATI SVNT videlicet.

1 BLaſphemantes Deum, ac Beatam Virginem ex praua conſuetudine, non ex iracundiæ calore, cui etiam eſt annexa excommunicatio.

2 Homicidium voluntarium, vel ad id efficax conſilium, auxilium, fauorem, vel mandatum dantes; vel procurantes abortum perfectum animatum, effectu licèt non ſecuto, vel opprimentes proprios, vel alienos filios induſtriè, vel etiam caſu.

3 Falſum teſtimonium in iudicio deponentes, etiam ad defenſionem, ad idque inducentes, & conſilium dantes, & Notarij qui dicta teſtium diminute cõſcribunt in præiudiciũ tertij, cui etiam eſt annexa excommunicatio.

4 Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis etiam ſpiritualis, in viris tamen, & vitium ſodomiticum, & beſtialitatis in adultis.

5 Inijcientes manus violentas in proprios parentes.

6 Sortilegi incantationes, maleficiaque exercentes, illiſque quoquo modo vtentes, & Sacramentis, vel ſacris rebus abutentes; huic vltimo annexa eſt excommunicatio.

7 Impedientes vel peruertentes vltimas voluntates testātium & ne Parochi suo munere cum ægrotis fungi possint.

8 Publici concubinarij, tàm clerici, quam laici, eorumque concubinæ, & raptores & violatores virginum; huic est annexa excommunicatio.

9 Vsurarij & cambia sicca exercentes.

10 Alloquentes cùm Monialibus, vel alijs intrà claustra Monialium existentibus, siue litteras de rebus turpibus, vel obscenis mittentes, illasque scienter deferentes.

11 Non soluentes census ecclesiasticos tempore debito cum possint, illosque, vel alia Iura ecclesiarum vsurpantes, vel occupantes, & qui bona stabilia alienant pro franchis, & liberis, cum sint ecclesiæ reddititia, vel tacentes quantitatem certam census, & ecclesiam propriam, cui sunt reddititia cum alienant, est etiam annexa excommunicatio.

Quo vero ad sollicitantes pœnitentes in confessione est casus Sanctæ Inquisitionis, pro quo obseruetur constitutio fel. record. Gregorius XV. quæ incipit. Vniuersi, & literæ directæ Eminentiss. olim Cardinali Carafæ Archiepiscopo Neapolitano, quæ incipit.

Dopo essersi hauuta longa, & matura consideratione sopra il dubbio significato da più bande, se i penitenti siano obligati à denunciare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel loco, ò atto della confessione, quando hanno consentito alla sollecitatione: Nostro Signore & questi miei Signori Illustrissimi in congregatione tenuta auanti Sua Santità à 25. di Luglio passato, dopò hauer anco inteso il parere di vna particolar congregatione deputata per questo effetto, hanno risoluto che qualsiuoglia penitente è tenuto à denuntiare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel loco, ò atto della confessione, ancorche gli habbia consentito, & non è tenuto à proparlare il proprio consenso, ne sopra di ciò s'interroghi dal Vescouo, ò inquisitori, ò loro Vicarij auanti de quali deporrà, ne meno il Confesso-

fessore denonciato, procedendosi poi contro di lui ne i constituti che se gli fanno s'interroghi sopra detto consenso; & in caso che egli volesse dirlo da se stesso non si senta il sudetto, come in ordine alla persona sollecitata, non spettante all'offitio de la Santa Inquisitione. Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono di significare la detta resolutione à i Confessori, & incaricarglіene strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi che occorrono alla giornata, contrarie al tenor de la Constitutione da Gregorio XV. santa mem. contro i Confessori sollecitanti, significhino à i penitenti l'obligo che hanno di denuntiare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consentito, e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso, conforme alla resolutione che si è fatta, li dichino apertamente, che non sono tenuti à proparlare il detto consenso & che tanto detti penitenti, quanto i Confessori sollecitanti procedendosi contro di loro non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se non si scriuerà, ne riceuerà il loro detto, & quando il penitente tutta via persistesse nella medesima resistenza, Nostro Signore si cõtenta che dal Vescouo & dall'inquisitore, si dia auttorità al Confessore di riceuere per scrittura, & con giuramento la denuntia per portarla subito à chi hauerà data l'auttorità di pigliarla, e se oltre le cose sudette occorrerà altro caso graue per il quale non si possa il penitente indurre à denuntiare; vuole Sua Santità, che se ne scriui qui, è s'aspetti la risposta, e tra tanto si sopersеda nell'assolutione, e tanto si cõtentarà V.S. Illustrissima di fare osseruare nella sua Diocese, facẽdo registrare la presente agli atti di cotesta corte per informatione sua, e de suoi successori, li quali doueranno hauer mira, che la presente risolutione riguarda solo quei penitẽti, che per hauer consentito fanno difficoltà in denontiare, ma quei che non hanno consentito, ò hauendo consentito non sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficoltà alcuna, ma lasciare che indifferentemente, e liberamente sodisfacciano all'obligo, che hanno di denuntiare, conforme alla detta constitutione, compiacendosi anco V.S. Illustrissima di mandare copie della presente

à i Ve-

à i Vescoui suoi suffraganei, acciò da essi ancora sia fatto osseruare la sudetta risolutione, per fine a V.S.Illustriss. humilmente bacio le mani. Di Roma, li 7.di Settembre 1624.

Di V.S. Illustrissima & Reuerendiss.

Humiliss. & Affettionatiss. seruitore.

Il Card.Mellino.

ADuertant Confessarii, tam Seculares, quam Regulares, quod absoluentes scienter aliquem à casibus vel censuris à nobis reseruatis absque nostra, vel nostri generalis Vicarij expressa facultate, etiam quouis priuilegiorum indulto, vel concessionis prætextu, ipso iure sunt suspensi ab exercitio Sacramenti pœnitentiæ, prout nos etiam ex nunc pro tunc suspendimus, & pœnitentes beneficio absolutionis non gaudeant.

Adest etiam excommunicatio reseruata summo Pontifici, vt in citatis decretis Sacræ Congregationis.

Sciant etiam Confessarij quod vltra casus prædictos nobis reseruatos, sunt multi alij, quibus est annexa censura diuersim in præsentibus Synodalibus constitutionibus sparsa, & præcipuè in excommunicationibus solitis publicari in nostra Cathedrali Ecclesia in die Cænæ, quas omnes cum casibus prædictis, & formã absolutionis, vt infra, habere præcipimus confessarij, alias non admittantur ad audiendas confessiones.

Forma absolutionis, qua vti debent omnes confessarij, & quam etiam in qualibet confessionali Sede in cartula scriptam & affixam mandamus, hæc est.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Iesus Chri-

Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantũ possũ, & tu indiges, deindè ego te absoluo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Hac forma, vel æquipollenti, omnes vti teneantur sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus eo ipso incurrenda, nisi pœnitens de recenti confessus rediret ad reconciliationem.

Cap. XIV.

POst auditam confessionem confessor imponat pœnitentiam congruentem peccatis, abstineat tamen à pœnitentijs grauioribus, & quas verisimiliter scit non esse adimplendas; nec vmquam pro peccato occulto, quamuis graui, manifestam, aut publicam pœnitentiam imponat, nec grauioribus delictis leues iniungat pœnitentias, sed omnia prudentia moderetur.

Cap. XV.

POenitentes, nisi post integram confessionem non reprehendat confessor, & cum aliquod graue, aut enorme peccatũ audierit, signa admirationis, detestationis, vel horroris non ostendat, sed ac si nõ audierit, in confessionis finem dissimulet; tunc vero vinum, & oleum super sauciati vulnera pro sua producto infundat. Animaduertat etiam, ne confitentes curiosis, & inutilibus interrogationibus detineat, & præsertim, ne pueri, & puellæ, & alij rudes de eo quod ignorant imprudenter interroga-

rogati ad mala perpetranda potius instruantur: neccssarias tamen, & opportunas interrogationes non prætermittat.

Cap. XVI.

VBi autem pœnitentes sæpe sæpius eandem incurrisse peccati speciem intellexerint; varia ad illorum præseruationem, ne incidant, curent exhibere remedia, vt videlicet peccati auferatur occasio, quod semel in mense, vel pluries confiteantur per annum, atque communicent, quod quotiescumque id ipsum patrauerint, certam eleemosynam, disciplinam, Ieiunium, vel peregrinationem, faciant; vt sic à recidiuitate Dei auxilio, & remedijs opportunis abstineant.

TITV-

TITVLVS XXVII.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

Cap. I.

ET si antiquus ille hostis per omne vitæ spatium circuat suis tentationibus animas Christi fidelium per peccata deuorare, extremo tamen tempore quasi serpens callidus, cum eorum calcaneo insidiatur astutia, id multò impensius perficere conatur; sed Clementissimus, & misericors Deus, ac Redemptor noster, extremæ Vnctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio muniuit. Vnctio enim hæc est gratia Spiritus sancti, reliquias peccati, si quæ sint, abstergens, animam ægroti alleuans & confirmans, vt tentationibus dæmonum facilius resistatur, velociorem ad Dei transitum concedit.

Cap. II.

PArochi itaque suos admoneant ægrotos, vt salutaribus pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis susceptis, opportuno deinceps tempore, cùm probabile mortis timetur periculum, & dum integros habent sensus, vt vberiore cũ fructu se præparare possint, extremæ Vnctionis Sacramentum sibi adhibendum po-

ſtulent, de cuius vi, & virtute efficacibus verbis ex Ritualis, vel cathechiſmi Romani deſumptis illos, cæteroſque præſentes inſtruant.

Cap. III.

SI quis autem æger, vel ex vi morbi, vel aliquo repentino caſu ſenſum omnem amiſerit, vt nihil plane intelligat, nihilominus vngatur, ſi modo adhuc viuat, & dum vſum rationis habebat pij animi ſignificationē dederit, vt indè iudicari poſsit eū hoc Sacramentum petiturum, ſi adhuc integra eſſet mente.

Cap. IV.

ADuertat, diligenter Parochus, vt in collatione huius Sacramenti, dum formam ipſius profert, ſcilicet per iſtam vnctionem &c. eodem tempore, non ante vel poſt, ipſe, non alius ſanctam adhibeat Vnctionem; In ſacerdotibus autem ſeruetur laudabilis conſuetudo, vt eorum manus perungantur ad extra, laicorum vero ad intra; in mulieribus renes non vngantur, honeſtatis gratia, in viris quoque non vngantur renes, quando infirmus commodè moueri non poteſt.

Cap. V.

CAueat autem Sacerdos miniſtrans hoc Sacramentum, ne dum oculos, nares, aures, pedes, & manus inungit, alteri tantū Vnctionem adhibeat, ne imperfectum remaneat Sacramentum; & ſi vngendus aliquo membro careat, nempè manu, pede, vngatur locus tali membro propinquior, nec eodem bombicio loca ſingula tergat; ſed in qualibet membrorum ſpecie

cie mutetur, & deinde comburatur, & cinis in sacrario recondatur.

Cap. VI.

SCiant præterea parochi posse Sacramentum in eodem homine iterari, non solum vbi diuersæ accidunt infirmitates, sed in eadem etiam ægritudine, longius tamen perdurante, si infirmitas mutat statum. Non ignorent etiam posse hoc Sacramentũ ministrari senio confectis, etiam non ægrotis, in diem tamẽ morituris, nec non lethifero vulnere sauciatis, siue id repentino casu, siuè alieno maleficio euenerit.

Cap. VII.

PVeris ante vsum rationis, capite damnatis, impenitentibus, ac notorijs peccatoribus, aut ex his absque contritionis signo aliquo, nec non amentibus, ac vsu rationis omnino carentibus hoc Sacramentum denegetur, nisi in lucidis interuallis significatione aliqua illius suscipiendi desiderium ostenderint.

VIII.

VAs habeant Parochi argenteum, vel saltem stamneum eleganti forma, in quo oleum infirmorum omni cum reuerentia asseruent loco decenti, clauis obsidio, quæ non alterius, quam Parochorum custodiæ sit commissa. Quacumque vocentur hora ad præstandam infirmis vnctionem statim accedant; sintque cocta, & stola induti, clericosque similiter cocta indutos adhibeant, qui eos in tam pio adiuuent ministerio, cæremoniasque seruent in Rituali nouo præscriptas. Sed si mors ægro-

to timeatur imminere, antequam praecedentes recitentur preces, tunc simpliciter reliquis omissis, sanctam adhibeant vnctionem, debitam seruando formam. Et si æger dum sacro oleo vngitur, extremum emiserit spiritum, Parochus vngere desistat. Si verò aliqua morbi vis repente illum oppresserit, vt dubitetur viuus ne sit, an mortuus, vtatur in Vnctione ea conditione scilicet, si es viuus per istam Vnctionem &c.

Cap. IX.

HOc infirmorum oleum, sicut alia sacra olea singulis annis in die Cænæ Domini nouum procuretur, veteri combusto, iuxta decretum Sancti Fabiani Papæ, & Martyris.

TITVLVS XXVIII.

De Sacramento Ordinis.

Cap. I.

ADminiſtratio Sacerdotij, cùm sit res diuina, magnaque, ac Saluataris Populo fideli vtilitas ex eo existat, cum Clerus is est, qui, & doctrinæ, & vitæ moribus præluceat, consentaneum profectò est, vt scilicet dignius, & maiori cum veneratione exerceatur, in ecclesiæ ordinatissima dispositione, diuersos ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deseruiant, ità distribui, vt qui iam clericali tonsura sunt insigniti, per minores gradatim, ad maiores ascendant. Cumque

ex

ex sacrorum ordinum collatione character inuisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur,& ipsarum cura animarum tribuatur, in eorum susceptione & collatione tantò magis est inuigilandum, quantò ex mala susceptione & administratione eorum, maióra in mentibus fidelium scandala g enerantur; quæ igitur in re tamen graui salubriter instituta, sancitaque fuere in sacra Tridentina Synodo, omnino inuiolabiliter obseruari præcipimus.

Cap. II.

VT igitur in sortem Domini segregati, à plebe communi distinguantur: sancimus, ne sine speciali nostra licentia vllus clericali habitu incedere, vel alicui Ecclesiastico muneri deseruire audeat sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ, nisi prius sit prima tonsura initiatus, quam ad accipiendam omnino prohibemus eos accedere,qui cõfirmationis Sacramentum nõ susceperint,& fidei rudimenta docti non fuerit,quique legere, & scribere nescierint, ac ætate septem annorum completorũ nati non fuerint, & de quibus probabilis coniectura sit, eos hoc vitæ genus elegisse,non vt Deo fidelem cultum præstent, sed effugiẽdi sæcularis iudicij caussa; ijque etiam nullius criminis rei, sed probatæ vitæ, ac morum existant, qui statim ac initiati fuerint seruitio certæ parochialis ecclesiæ,vel cathedralis confestim adscribantur.

Cap. III.

NVllus ab alieno Episcopo primam tonsuram, vel alios ordines recipere præsumat absq; literis dimissorialibus sub pœna suspensionis eo ipso incurrenda, qui vero ab alieno Episcopo

ſcopo cum falſis literis dimiſſorialibus primã tonſuram recipere præſumpſerit, is fori priuilegio non gaudeat, iuxta declarationẽ SS. D.N. Vrbani Papæ VIII.

Cap. IV.

AD minores Ordines promouendi linguam latinam intelligant, & diſtinctè legant, quatuordecim ſaltem ſint Annorum nati, ingenuorum natalium, & quod literis incumbant, à Parocho & à Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, bonum habeant teſtimonium, ſuperpelliceum, & biretum habeant, & eccleſiæ, cui fuerint adſcripti, continuo deſeruiant.

Cap. V.

QVi ſacris voluerint ordinibus inſigniri ætatis ſint Concilio Tridentino præſcriptæ, ne in ſuſpenſionis & irregularitatis pœnam incurrant. iuxta eiuſdem Concilij Trident. & Pij II. Conſtit. quæ incipit ex ſacrorum &c. habeantque beneficium eccleſiaſticum, penſionem, aut patrimonium, quorum redditus triginta aureorum ſumma non ſint inferiores, & omni fraude ceſſante, hæc vel illud re ipſa poſſideant, nec ſuſceptis ordinibus alterum eorum nobis inſcijs alienare, vel reſignare valeant, etiam ſi aliunde conſtet eorum vitam commodè ſubſtentare poſſe. Alienatio vero Patrimonij, ſine noſtro, vel noſtri Generalis Vicarij decreto, facta, ipſo iure nulla ſit, & inualida, nulliuſque roboris, & momenti, prout nos eam præſenti conſtitutione nullam, & inualidam declaramus, & nullius roboris, & momenti eſſe decernimus.

Cap.

Cap. VI.

QVi ad titulum patrimonij deinceps ordinari se poscent, nisi à nobis prius pro necessitate, aut commoditate ecclesiarum suarum assumi debere iudicabuntur, non ordinentur. Patrimonium sit verum, & non fictum, vereque & realiter per clericum possideatur, & si patrimonium donari contigerit, donationis instrumētum per Notarium à nobis deputandum tantum conficiantur & nō per alium, constetque deindè bona donata in donatoris fuisse dominio, & possessione, nemini prius hypothecata, transeatque statim donatarius clericus in donatorum possessionem; & ne fraudes committantur, volumus quod quando contigerit donationem, seu assignationem patrimonij ab alijs clerico fieri, producatur publicum instrumentum ab vtraque parte iuramento vallatum, prædictam assignationem esse realem, & omni dolo & fictione carere, & quod neque in præteritum confectus fuerit, neque in futuro conficietur actus, seu contractus aliquis in præiudiciū dictæ assignationis cum annullatione quarumcumque actorum, factorum & faciendorum, & alias nullus admittatur deinceps ad sacrum subdiaconatus ordinem ad titulum Patrimonij.

Cap. VII.

SAcros ordines suscepturi, per mēsem ante ordinationnem ad nos veniant, vt vniuscuiusq; corā nobis proposito desiderio iuxta Sac. Conc. Trident. decretum, possimus de ipsorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirere, & an habeant aliquod impedimētum canonicum quo ad dictos ordines queat pertingere.

Impedimenta autem possunt esse ista, quæ sequuntur.

Si absque dispensatione quis ordinaria interstitia non seruet.

Si

Si quis non habeat ætatem legitimam.
Inquisiti criminaliter.
Suspecti de hæresi.
Ebriosi.
Concubinarij.
Publici vsurarij.
Histriones.
Infames.
Serui.
Illegitimi.
Rixosi.
Obligati ad ratiocinia reddenda.
Ordinati per saltum.
Milites, qui in bello interfuerunt, vbi mors aliquorum interuenerit.
Bigami.
Dementes.
Caduco morbo laborantes.
Phreneteci, vel obsessi a demone.
Excommunicati & suspensi, vel interdicti, & irregulares.
Grauioribus debitis inuoluti.
Periuri.
Corpore vitiati.
Si sententiam sanguinis tulerint vel procurauerint, vel alijs criminalibus causis se immiscuerint vel laicalia exercitia ex officio egerint, vt propterea sint effecti irregulares
Abstemij.
Hermaphroditæ.
Non confirmati.

Quod si nullo prædictorum impedimento laborent, admittantur ad ordines, examinati prius de doctrina à nobis, & nostris synodalibus examinatoribus.

Cap. VIII.

AD sacrum subdiaconatus ordinem assumpti, etiam si nulla possideant beneficia ad horas canonicas quotidie recitãdas sciant se sub pœna peccati mortalis adstrictos, & proindè ante ordinem prius diuini officij recitationem addiscant.

Cap. IX.

TAm ad ſubdiaconatus, quam ad Diaconatus ordinem promoti, teneantur Eccleſiæ noſtræ Cathedrali inſeruire diebus fæſtiuis, Epiſtolas, & Euangelia decantando; alias non permittantur ad altiores ordines aſcendere, vltrà pœnas noſtro arbitrio reſeruatas.

Cap. X.

AD ſacros ordines promoti, illos non exerceant; niſi prius per deputatos à nobis ad eorum munus obeundum apti iudicati fuerint.

Cap. XI.

CVm ſuper temporum interſtitijs poteſtate à Trident. Synodo nobis tradita diſpenſandum erit, niſi plene conſtet de neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, & tunc niſi ad inſtantiam Parochorum, vel eiuſdem Eccleſiæ miniſtrorum, non autem ordinandi, ad diſpenſationem non procedemus.

Cap. XII.

REgulares ad ordinem non admittantur, niſi per ſuperiorũ ſuorum literas legitimè conſtet de eorum ætate, quodque profeſſionem emiſerint; quod ſi alterivs fuerint Diœceſis, non niſi habita fide, quod per Epiſcopum loci ipſius conuentus ordinarium nequiuerint ordinari, iuxta conſtitutionem felicis record. Clementis VIII.

Cap. XIII.

QVi temere, arroganter & quod peius eſt dolosè ad ſacros ordines ſe promouendum ingeſſerit examine nõ præcedente, vel licentia à nobis non obtenta, vel falſis literis oſtenſis ſit ipſo iure ab ordinibus ſic furtiuè ſuſceptis, ſuſpenſus, & pœnam carceris per annum ipſo iure incurrat.

Cap. XIV.

PRomoti ad quemcumque ordinem vel à nobis, vel ab alio de noſtra licentia ordinationẽ ſuam ſtatim in noſtro regiſtro per extenſum deſcribi curet cum die, menſe, & anno, & Epiſcopi nomine, qui eum ordinauit; Quod regiſtrum in noſtro Archiuio aſſeruari præcipimus, nec alius quam verè ordinatus in eo deſcribatur ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo incurrenda, nec fides extrahantur ab ipſo abſque noſtra expreſſa licentia ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Qui verò bullas ſuæ ordinationis recipere à noſtro Cancellario ſaltem infra octo dies, & penes ſe diligenter cuſtodire contempſerit, immunitate Gabellarum non gaudeat, ſi fuerit promotus ad primam tonſuram; ſi vero ad alios ordines, tandiu ab executione ſuſceptorum ordinum ſuſpendatur, quamdiu bullas prædictas receperit.

Cap. XV.

QVia perſæpe accidit, vt plerique ad euitandas ſolutiones Gabellarum, aliorumque vniuerſalium onerũ, non vt Deo inſeruiant, nituntur à nobis primam clericalem tonſurã extorquere ſub diuerſis exquiſitis cauſſis, & prætestibus, etiam indigni, & inhabiles, nec neceſſaria requiſita habentes; quod ſi fortè rei difficultate, vel petitionis iniuſtæ neceſſitate compulſi expetitã denegemus gratiam, vel iuſtè eorũ petitum differamus, mediatores exponunt laicos ferè importunos, & ab eis fauores, & literas cõmendatitias apud nos expetunt. Vt igitur tantis malis occuramus, & ne facile omnibus, teſte Apoſtolo, manus imponamus, præcipimus quod in futurũ nemo laicales fauores pro prima clericali tonſura exquirat, ſub pœna inhabilitatis perpetuæ ad illam obtinendam; ſicuti etiam mandamus quibuſcumq; Eccleſiaſticis perſonis, quod fauores ipſos, ſiue literas commendatitias pro obtinendo beneficio eccleſiaſtico, vel officio, aut gratia aliqua non requirant ſub eadem pœna & literæ in ipſorum commendationem ad nos à laicis tranſmiſſæ ponantur in proceſſu, vt contra eoſdem obtinere nitentes perpetuò probent.

TITVLVS XXIX.

De Sacramento Matrimonij.

Cap. I.

SACRAMENTVM Matrimonij magnum est, quod Christi, & Ecclesiæ coniunctionem significat, Apostolo testante; proindè vt sanctè, & secundum sacrorum Canonum constitutiones contrahatur, neuè illegitime contrahentes, aliqua valeant iuris ignorantia excusari; expressè præcipimus, vt Parochi, quæ in sacra Tridentina Synodo sunt salubriter sancita, populo intet missarum solemnia, quando frequentior erit saltem ter in anno, vulgari sermone explicare teneantur, maximè ad euitanda matrimonia clandestina, & insuper, quæ Inferius præscribimus, diligenrer obseruari curent, sub pœnis nostro reseruatis arbitrio.

Cap. II.

MAtrimonium nullum celebretur, nisi tribus monitionibus factis per Parochum in viri, & Mulieris Parochialibus Ecclesijs inter missarum solemnia tribus diebus festiuis continuis, non autem ferialibus, præcedentibus, vt ad notitiam res venire possit integra; in quibus sub anathematis pœna præcipiantur, vt si quis aliquod impedimentum super publicato matrimonio contrahendo sciat, illud denunciet; quod si in illarum aliqua quid-

quidquam esse impedimenti denunciatum fuerit, etiam si per famam, aut vnicum testem id innotuerit, à reliquis monitionibus desistat Parochus, & depositione opponentis ad nos transmissa, sponsis sub excommunicationis pœna cohabitationem & consuetudinem inhibeat; nec denunciationes faciat absque expressa contrahentium voluntate, quam, maximè Mulieris, ipse Parochus prius explorer.

Cap. III.

QVi verò sciens impedimentum aliquod matrimonij contrahendi, illud tacuerit absque graui causa, eo ipso sit excommunicatus, qua etiam pœna innodari volumus eos, qui falsum impedimentum reuelauerit. Contradictiones tamen matrimoniorum publicatorum, ne contrahantur in scriptis tantum recipiantur, & cum cotradicentis subscriptione, vel si is scribere ignoret coram duobus testibus, vt rescripsit Sac. Congr. Archiepiscopo Cosentino 2. Augusti 1594.

Cap. IV.

ABsolutis publicationibus, & à nobis petita licentia, sponsos Parochus mulieris in matrimonium coniungat, iuxta formam noui Ritualis Romani, & in missæ celebratione Sacerdotalem præbeat nubentibus benedictionem, si ambo primo sint nubentes; si verò vterque, vel alter eorum sit bigamus, neutri benedictionem impendat; eo autem die, quo postremo fieri debet denunciatio, matrimonium non celebretur, nisi is nouissimus dies sit antè quadragesimæ, aut Aduentus initium. Si verò factis publicationibus matrimonium infra duos menses non cele-

bre-

bretur propter aliquod impedimentum, vel coniugum negligentiam, tunc iterum fiant denunciationes, iuxta Sac. Conc. declarationem, ſub poenis noſtro arbitrio reſeruatis.

Cap. V.

NVllus Parochus alterius Parochiæ, præter Parochum Mulieris audeat ſponſos in matrimonium coniungere, vel illis benedictionem impendere, abſque noſtra, vel Parochi licentia ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda; binas verò nuptias ſub vna miſſa, benedictione & baldachino benedici permittim us, non plures, nec vmquã ſub baldachino SS. Sacramenti prout ſupra in Sacramento Euchariſtiæ iuſſimus.

Cap. VI.

HOrtentur Parochi coniuges, prout etiam S. Tridentina Synodus hortatos eſſe voluit, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonij conſumationem ſua peccata confiteantur, & SS. Euchariſtiæ ſuſcipiant Sacramentum, nec huiuſmodi laudabilis conſuetudo prætermittatur, vt Sacramenti gratiam recipiant, vel ſaltem obicem tollant.

Cap. VII.

QVando denunciationibus omiſſis iudicio, & diſpenſatione Epiſcopi matrimonium per verba de præſenti fuerit contractum, tunc à Parocbo moneantur ſponſi, vt ab vſu Matrimonij, cohabitatione, & conuerſatione abſtineant, donec denunciationes fuerint expletæ, & inter eos, quominus contrahere poſſint, nullum impedimetum probetur.

Cap.

Cap. VIII.

SI matrimonium sit contrahendum inter personas ex diuersis diecoes. vltrà denũciationes, seruentur omnino decreta Sac. Congregationis inquisitionis sub pœnis in dictis decretis contẽtis, & alijs nostro arbitrio reseruatis, nec admittantur ad Matrimonium, nisi seruatis omnibus prædictis.

Cap. IX.

AD euitanda grauissima peccata, & præsertim stupra, quæ per sponsorum incontinentiam committi possunt, vt omnem prorsus peccati causam tollamus, hac præsenti Synodali constitutione præcipimus sponsis, ne simul in alienam domum conueniant, nec simul etiam in propria domo cohabitent, antè matrimonium contractum per verba de præsenti sub pena excõmunicationis latæ sententiæ; & si res in iudiciũ ded ucta fuerit etiam pœna pecuniaria arbitrio nostro pijs vsibus applicanda multabuntur.

Cap. X.

CVm proprius Sacramentorum locus sit Ecclesia in ea decet etiam matrimonium celebrari, non in laicorum domibus, in quibus multa huius Sacramenti sanctitati repugnãtia committuntur; Proindè præcipimus Parochis omnibus, ne matrimonia domi cõtrahant absque expressa nostra licentia. Et quoniam multoties sponsi ob inuidentium timorem, in Ecclesijs matrimonia celebrari subterfugiunt, quod quãdoque impediti reperiantur incãtationibus, & maleficijs, vt à tàm immani crimine omnes abstineant,

neant, præſenti ſtatuto ſancimus, vt qui talia commiſerint, vel committenda curauerint, ſuaſerint, vel con-ſenſerint, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrant, ac etiam pœnis perpetui carceris puniantur,& muro claudendi ſunt vt in conſtitutione fel.record. Gregorio XV. quæ incipit Omnipotentis Dei inflictis plectantur.

Cap. XI.

QVandocumque matrimonij contrahendi impedimēta detegentur ſponſos grauioribus appoſitis pœnis Parochus moneat, & quantū poteſt arceat, ne ſimul conuerſentur, quouſque à Sancta Sede Apoſtolica diſpenſatione obtenta, ac precibus iuxta diſpenſationis formam coram nobis, ſiue noſtro Generali Vicario verificatis, licentia contrahendi cōcedatur; Quod ſi antè has ſolemnitates, copulam habuerint, noua indigent diſpenſatione, vt Sacro Congregatio cenſuit his verbis. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum alias cenſuit eos, qui obtinuerunt litteras diſpenſationis ſuper gradu prohibito, & eis non præſentatis contraxerunt, vel ſe carnaliter cognouerunt, noua egere diſpenſatione R.Card.Vbaldinus.

Quod ſi poſt matrimonij celebrationem Sac. Conc. Trid. ſeruata forma, aliquod impedimentum detegatur, prohibeantur ſponſi, ne ſimul cohabitent, nec conuerſentur, quouſque à Sancta Sede Apoſtolica fuerit diſpenſatum.

Cap. XII.

NOn admittantur ad matrimonium, qui non furint confirmati, fidei Symbolum & præcepta Decalogi ignorant, niſi

nisi eorum ign orantia esset inuincibilis, sub pœnis in Sacramento Confessio nis appositis.

Cap. XIII.

QVi post ratum & consumatum matrimonium se inuicem separare, vel propria auctoritate, vel voluntate præsumpserint; quiuè ad matrimonium aliquem, vel aliquam absque libera voluntate eorum, per vim & metum, directè, vel indirectè coëgerit excommunicationis sententiam ipso facto incurrat; sponsalia vero alias mutuo consensu contracta, quacumque ex caussa partes dissoluere, nisi præcedente decreto nostræ Curiæ sub eadem pœna non audeant.

Cap. XIV.

NVptias ab Ecclesia prohibitas esse ab Aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschatis inclusiuè, populo inter missarum solemnia Parochi sæpius inculcent; declarando non esse in ijs temporibus prohibitos contractus, matrimonij, sed Nuptiarum tantum solemnitates, & benedictionis Nuptiarum receptionem.

Cap. XV.

DOceant Parochi persæpe suam plebem, quæ sunt impedimenta matrimonij, & præcipuè à Sac. Conc. declarata; verbi gratia impedimentum publicæ honestatis non oriri, nisi ex validis sponsalibus, nec excedere primum gradum. Affinitatem verò ex fornicatione, vltra secundum gradum non dirimere;

quod autem ex cognatione ſpirituali naſcitur, in ijs quæ ſupra de baptiſmo adnotauimus. Conſanguinitatis verò inter tranſuerſales vſque ad quartum gradum incluſiuè. Inter aſcendentes vero & deſcendentes nulla vnquam datur diſpenſatio. Affinitatis verò ex copula licita vſque ad quartum ſimiliter gradum incluſiuè. Inter raptorem, & raptam, vltrà excommunicationem, nullum eſſe matrimonium; quæ omnia & ſimilia Parochus diſtinctè ſaltem ter in Anno, cum Populus frequens aderit in eccleſia, inter miſſarum ſolemnia vulgari ſermone aperiat, vt facilius eius Parochiani ſciant, quando matrimonium licitè contrahi poſſit.

Cap. XVI.

POſtremò præcipimus Parochis omnibus, vt matrimoniorũ quæ in noſtra Diœceſi contrahuntur, perennis memoria ſeruetur, librum conficiant, prout diximus de officio Parochorum, in quo denunciationes Dominicis & alijs feſtis diebus ab ipſis factæ, & celebrati matrimonij dies, & locus, coniugum, teſtiumque nomina, & cognomina deſcribantur.

TITV.

TITVLVS XXX.

De Seminario.

Cap. I.

CVM adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, merito quidem & laudabiliter à Sacra Tridentina Synodo fuit ſtatutum, vt in Cathedralibus & inſignioribus Eccleſijs ſeminaria Clericorũ eligantur pro inibi religioſè, ac in diſciplina eccleſiaſtica enutrimendis pueris, qui deinceps ſacros ordines ſuſcipiant & munia eccleſiaſtica probè, & ſanctè, vt miniſtros Dei decet exequantur, vtque à teneris annis ad pietatem, & religionem ſub Dei Iugo eruditi, quaſi ligna ſecus decurſus aquarum radicati, vberes doctrinæ, probitatis, & bonorum operum fructus ad fidelis populi vtilitatem producant.

Cap. II.

NOs igitur, vt quæ à dicta Sac. Tridentina Synodo de Clericorum Seminario ſunt ſancita inuiolabiliter obſeruentur, præcipimus, In primis, eos tantum in noſtrum Seminarium recipi, qui maiores annis duodecim, legitimiſque ſint orti natalibus, quique legere, & ſcribere competenter ſciant, qui probitatis, & ingenij indolem præſeferant, vt cum litteris, tùm

V 2 Chri-

Christiana in primis probitate præstantes eos forè spes iam certa concipiatur.

Cap. III.

ANtequam in Seminario admittantur diligentem de eorum vita inquisitionem haberi volumus, ne si in aliquo eorum mores mali inueniantur, sanos morbo inficiant, cum morbida facta pecus totam corrumpat Ouile.

Cap. IV.

INgressi, si nullo sint ordini insigniti, prima statim tonsura initientur, diuisique in classes iuxta factum ab eis progressum in litteris, Grammaticam, cantum scripturam, diuinaque studia, & præsertim Cathechismum Romanum, ac casuum conscientiæ peritiam addiscant.

Cap. V.

PVeri pro tenuissimis Seminarij redditibus numerum duodecim non excedant, qui Numerarij vocentur, & eos pauperes præsertim eligi volumus, diuites tamen non excludimus, modò pro schola Grammaticæ, Musicæ, & aliarum disciplinarum, annuos ducatos sex persoluant, semper cum anticipato semestri, & cum cautione Idonea de persistendo in eodem Seminario saltem per quinquennium; si vero quis dimitti petat, antè quinquennium teneatur soluere ad rationem prædictorum ducatorum sex quolibet anno pro toto quinquennio.

Cap.

Cap. VI.

QVia redditus eiusdem Seminarij ex portionibus beneficiorum detracti sunt adeò tenues vt nequeant ex eis duodecim prædictis pueris alimenta, & vestitum præstare, ac mercedem Magistrorum soluere, præcipimus, vt detractis salarijs Magistrorum aliorumque ministrorum, ex reliquis redditibus, conficiantur vestes, & alia ad victum dicto puerorum pro quantitate redditu um suppeditentur, & beneficia quæcumque simplicia in futurum in nostra Diœcesi vacantia eidem Seminario Iuxta decretum S. Conc. Trident. ad maiorem ipsius profectum & conseruationem vniantur.

Cap. VII.

LVdi Magistros, aliosque collegij ministros non iuuenes, sed ætatem, atque probis moribus senes, sapientes, & timentes Deum, qui scientia, exemplo, & morum probitate Iuuentutem ad Dei laudem, populique salutem alant, atque instituant, eligere iubemus.

Cap. VIII.

SIngulis diebus Sacrosancto Missæ sacrificio intersint, semel saltem in mense confiteantur, & iuxta Confessarij iudicium Sanctissimum suscipiant Eucharistiæ Sacramentum; Dominicis, & festis diebus de præcepto omnes simul nostræ inseruiant Cathedrali; diebus verò ferialibus quatuor, vel sex de mane vicissim pro seruitio missarum à Rectore deputentur, missisque inseruiant coctis semper induti, nec ad collegium prædictum de cætero aliquis admittatur, qui coctam & biretum, ac Officium B. Mariæ non habeat.

Cap.

Cap. IX.

REgulas & capitula à nobis in nostra generali visitatione tradita, & approbata inuiolabiliter obseruent, & si qui inobedientes, ac disciplinæ ecclesiasticæ contemptores, aut contumaces pueri aduertantur; post trinam monitionem (nisi resipiscant) è Seminario, de nostra tamen licentia, eijciantur ne cæterorum, qui meliores sunt indolis, puerorum mores corrumpant, neuè clericorum aliquis ab obseruatione eorum, quæ in regulis continentur ignorantia excusari valeat, præcipimus vt Seminarij Rector singulis saltem mensibus regulas prædictas coram omnibus pueris legendas curet.

Cap. X.

POstremò præcipimus Præfectis eiusdem Seminarij, vt singulis annis rationem nobis reddant coram duobus à Reuerendo Capitulo, & totidem à Clero deputatis, de administratione redditu um, & quorumcumque prouentuum, ac expensarum ipsius Seminarij.

TITV-

TITVLVS XXXI.

De Regularibus.

Cap. I.

VT decreta Sac. Conc. Trident. debitæ exequutioni demandentur iubemus in Monasterijs huius nostræ Ciuitatis & Diœcesis, in quibus commodè poterit, habeatur lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ ad publicam Regularium, & sæcularium clericorum commoditatē, & ad hoc Superiores Monasteriorum studiosè inuigilent, alias à nobis, etiam vti Sedis Apostolicæ delegatis ad hoc opportunis remedijs cogentur.

Cap. II.

NVllus eorum in nostra Diœcesi prædicationis officio fungatur in ecclesijs non suorum ordinum, absque licentia & benedictione nostra iuxta perscriptum Sac. Conc. Trident. In ecclesijs vero suorum ordinum non prædicent antè petitam benedictionem, alias procedemus in ipsos iuxta Constitut. fel. Record. Gregorij XV. Confessiones sæcularium audire non præsumant, nisi de nostra licentia, & prius approbati iuxta Constitut. SS.D.N. Vrbani VIII. & tunc neque à casibus Sedi Apostolicæ aut nobis reseruatis, nec à censuris ecclesiasticis absoluant, sub pœna excōmunicationis Sanctæ Sedi reseruatæ, & alijs pœnis in decre-

decretis Sacræ Congregationis sub die 9. Ianuarij 1601. & 26. Nouembris 1602. editis.

Cap. III.

INdulgentias etiam ipsis concessas, nouas Reliquias, vel noua Miracula ipsi non publicent, nec populorum concursum, sub miraculorum specie permittant, licentia prius à nobis non obtenta.

Cap. IV.

CEnsuras, & interdicta à nobis publicata, ac festa in nostris Synodalibus constitutionibus indicta ipsi obseruent & publicent, & ad processiones generales de iure vel consuetudine, vel ob aliquã grauem caussam à nobis indictas accedãt sub pœnis in nostris particularibus edictis contentis; & si qua inter eos controuersia de præcedentia orta fuerit, constitutiones & decreta super præmissis à nobis ædita vel forsan edenda omnino obseruent, iuxtà constit. fel. record. Gregorij XIII.

Cap. V.

IN Monasterio Sanctæ Mariæ Martyrum Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, in quo ad sunt regulariter duo vel tres fratres ad summum, ac in alijs forte in posterum ædificandis, in quibus non adsunt duodecim fratres iuxta decretum nouissimũ Sacr. Congregationis, ob quod non ita exactè regularis viget obseruantia, omnino seruetur decretum Sacræ Congregationis scriptum Episcopo Syracusano 29. Ianuarij 1616. in his verbis Cum Sacræ Congregationi innotuisset in Syracusana Diœcesi mul-

multos Regularium Conuentus reperiri, in quibus duo, aut tres fratres morantur, & consequenter obseruantia, institutaque regularia non obseruantur; Sacra eadem Congregatio Syracusano Episcopo scribi mandauit vt Superioribus Religionis, cui dicti conuentus sunt subiecti, notificent, vt prædicta Sacr. Congregationis decreta in similibus casibus edita omninò obseruent, quibus quidem decretis cauetur, vt in conuentibus huiusmodi Religiosi senes, bonæque vitæ collocentur, neque vt in eisdem vltrà annum morentur, permittatur.

Cap. VI.

IN Caussis Regularium, qui gaudent priuilegio habendi conseruatores, vbi ipsi sunt rei (exceptis tamẽ caussis hæresis) eligant sibi aliquos ex conseruatoribus à nobis in præsenti Synodo deputatis, iuxta formam constitut. fel. record. Gregorij XV. alias coram nobis conueniantur ex præscripto dictæ Constitutionis.

Cap. VII.

NOn accedant ad colloquendum cum Monialibus, nisi sint in primo, & secundo gradu consanguinitatis coniunctæ & tunc præuia nostra licentia, & non vltra quatuor vices in anno, ac seruatis omnibus circumstantijs, & conditionibus in decreto Sacr. Congregationis edito sub die primo Decembris 1623. sub pœna vltra peccatum mortale, ammissionis vocis actiuæ, & passiuæ, nec in earum ecclesijs celebrare præsumant absque nostra vel nostri generalis Vicarij licentia sub pœnis nostro arbitrio reseruatis.

Cap. VIII.

IN ecclesijs Clericorum secularium pro cappellano non inseruiant, nec in eis missas celebrent, absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia, quam si obtinuerint, curent ne sint impedimento in Parocchialibus ecclesijs in diuinorum celebratione.

TITVLVS XXXIII.

De Monialibus.

Cap. I.

VT Virgines, quæ Deo dicatæ, & Christo sponso coniunctæ Monasteriorum septis sese perpetuo occluserunt, Sacrosanctam illam cælestis vitæ rationem, quam sibi elegerunt, feliciori in dies cursu prosequantur: Eas paterno hortamur affectu, vt quæ Virginitatem Deo vouerunt, ad Regulæ, quam professæ sunt, normam, suam vitam, & mores toto conatu componere studeant; si quæ autem fortè (quod absit) indisciplina, ac Regularis obseruantia collapsa fuerit, eam pristinæ restituendam integritati curent, vt maiori cum libertate in diuinarum rerum contemplatione incumbant.

Cap.

Cap. II.

ABbatissæ, quæ vt alijs præsint, eliguntur, quemadmodum reliquas officij dignitate, sic & morum, & vitæ sanctitate antè cellere debent, nec minores quadraginta annorum proponantur,& quæ octo post professionē laudabiliter vixerint. Vbi vero hæ qualitates defuerint, vel ex alio Monasterio eiusdem Ordinis eligantur. vel si hoc superiori,qui electioni præest, incōmodum videatur, ex ijs quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint,& quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, eligi possunt. Duobus verò Monasterijs nullatenus præsint; & tertiò quoque anno Abbatissa noua eligatur.

Cap. III.

ABbatissa eligatur per vota secreta, nec vnquam singularium nomina eligentium publicentur, & in e lectionibus faciendis ad voces, & suffragia captanda nullatenus, praticæ, aut clandestina colloquia fiant,sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Cap. IV.

PRorogationem termini Abbatissarū vltra triennium nequaquam concedimus, vt rescripsit Sac.Congregatio Episcopo Adriensi sub die 20. Februarij 1615. & quæ prius fuerunt Abbatissæ non possunt eligi, nisi transacto alio triennio absque Sedis Apostolicæ, aut Sacræ Congregationis facultate; in Ordine vero Sanctæ Claræ Abbatissæ vacent per sex annos, iuxta

Constitutionem fel.recor.Pauli V.vt affert Nouarius in summa Bullarij in verbo Abbatissa num. 13.

Cap. V.

SI Moniales inter se discrepantes non consenserint ad eligendam Abbatissam sui Monasterij, terminus competens eis ad hoc assignetur, & si nihilominus dissenserint, tunc à nobis vel nostro Generali Vicario eligatur, quæ magis Idonea iudicabitur; vt decreuit Sac. Congreg. in responso ad Episcopum Cremonen. sub die 12. Octobris 1592.

Cap. VI.

HAbitum religionis susceptura non admittatur, nisi prius à nobis, vel à nostro Generali Vicario voluntate explorata, & conuocatis capitulariter Monialibus, ab omnibus, seu à maiori parte vnanimi consensu recipiatur, non tamen minor duodecim annis, & quæ promptam habeat pro dote, seu eleemosyna dotali pecuniam depositandam pro professione emittenda, iuxta decreta Sacr. Congregationis.

Cap. VII.

CVm in Ciuitate Cauæ non adsint publici Banchi, depositũ dotalium eleemosynarum mandamus fieri penes aliquem mercatorẽ probum, & opulentum, ad hoc vt sequuta professione eleemosyna prædicta dotalis statim conuertatur in emptionem introijtuum, ad perpetuum Monasterij beneficium, ex rescripto dictæ Sac. Congregationis ad Episcopum Cameren. sub die 15. Martij 1594.

Cap.

Cap. VIII.

NOuitia, quæ in Monasterijs completo suæ professionis anno professionem non emiserit ob suam, vel eius parentum culpam, gaudeat sex alijs mensibus ad dictam professionem emittendam, quibus elapsis, si etiam non emiserit, statim dos acquiratur totaliter Monasterio, ita quod si contigerit professionem vltrà non emittere, vel per subsequentem mortem, vel qualicunq; alia caussa dotem non possint repetere neque parentes, neque ipsa Monialis, id quod enunciari, & ad stipulari volumus in instru mento Constitutionis dotis.

Cap. IX.

NOn recipiantur in eodem Monasterio vltra duas sorores absque Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis dispensatione, nec aliqua admittatur ad educandum, vel habitum suscipiendum sine licentia dictę Sac. Congr. nec duæ sorores secundum carnem possint, sibi inuicem in Abbatissas immediatè succedere.

Cap. X.

COnfessarius Ordinarius cuiuscumque Monasterij eligatur ex senioribus, & probatæ vitæ, & morum, non minus annis quadraginta, nisi aliud Episcopo videbitur, & singulis annis mutetur, ac intra annum bis, vel ter alius extraordinarius ætatis nõ minus annorum quadraginta, & quantitatibus supra expressis præditus assignetur, ad quem teneantur omnes Moniales se præsentare, liberum sit tamen eis illi confiteri sua peccata.

Cap. XI.

Confessarius nullo modo quid accipiat à Monialibus, nisi salarium à nobis taxatum, vel taxandum, neque illis donare aliquid possit sub pœna suspensionis eo ipso incurrenda.

Cap. XII.

Sedulo monemus moniales, vt saltem semel in mense eorum peccata confiteantur, & sacram Communionem reuerenter, & deuotè recipiant, idque etiam obseruent in festis solemnioribus, nisi aliud confessario expedire videbitur.

Cap. XIII.

Confessarius Monialium nullatenus septa Monasterij ingredi præsumat prætextu comitandi Operarios, medicos, chirurgos, vel alios; quando vero ingreditur ad ministranda Sacramenta, recta, & absque diuerticulo eat, redeatque; neque ad aliam Monasterij partem diuagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum ministratio non sit necessaria: ipsumque à ianua Monasterij semper duæ seniores comitentur, & ad ianuam prædictam ipsum reducant; nec vmquã ipsum solum deserant. Cognoscens autem infirmam ad confessionale ecclesiæ accedere posse, non audeat Monasterium ingredi, vt Sacramentum pœnitentiæ, ministret. Ingrediens verò Monasterium Sacramentum pœnitentiæ ministrare, absque socio ingrediatur, idemque faciat in administratione Eucharistiæ, & extremæ vnctionis. Dùm vero audit confessiones infirmarum cellæ ianua aperta remaneat, & duæ comitatrices ad eandem

cellæ

cellæ ianuam morentur, itaut confessarius, & infirma ab eis commodè cerni possint, vt rescripsit Sacr. Congregatios 13. Settembris 1483.

Cap. XIV.

INgressurus de nostra licentia claustra Monialium ob aliquam Monasterij vrgentem necessitatem, siuè Medicus, siue chirurgus, siuè Artifex, aut alius qui vis sit, particulare tintinnabuli signum præcedat, quod Moniales ipsas commonefaciat, vt vnaquæque in cellam propriam se recipiat, ne ab ingredientibus videri possit; licentia autem medicorum, chirurgorum, & operariorum concedi solita, singulis quibusque trimestribus renouetur, alias illis non suffragetur, incidantque in pœnas Constitutionis fel. record. Gregorij XIII. vt rescripsit Sac. Congr. Episcopo Cammariten. 28. Martij 1588. Aduertant tamen omnes, qui licentiam habent à nobis, vel nostro Generali Vicario ingrediendi septa Monasterij, quod si illa vtuntur leuibus de Caussis incidunt in pœnas dictæ Constitutionis Gregorij XIII. non alias ac si sine licentia ingrederentur, vt pluries declarauit Sac. Congreg. & præcipuè in vna Mediolanen. & in alia Bergamen.

Cap. XV.

CLaues custodiæ SS. Sacramenti nullo modo Monialibus committantur, sed penes Confessarium, vel Cappellanũ, ad quos spectat dictum SS. Sacramentum ministrare semper esse debeant, vt Sac. Congr. rescripsit in vna Vallisolitana die 12. Ianuarij 1604.

Cap.

Cap. XVI.

IN Confessionalibus Monialium inter Confessarium, & Monialem confitentem, perforata lamina stricta intersit; in loco vero vnde SS. Sacramentum suscipiunt, tantus pateat aditus, quantus Sacerdos manum commodè admittere possit; in vtraque vero adsint duæ claues, introrsum vna, altera extrorsum; Claues interiores de die retineatur penès Sacristanam; deserò verò consignentur Abbatissæ; Claues verò exteriores retineantur penes Confessarium, itaut fenestrellæ non aperiantur nisi præsentibus, & Confessario, & Sacrestana, sub pœnis grauiter nostro arbitrio infligendis.

Cap. XVII.

NVllus cuiusuis status & sexus alloqui possit Moniales per confessionale, neque per fenestrellam communicatorij sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; Confessarius vero, vel Cappellanus id permittens, vel clauem præbens, incidat eo ipso in pœnam suspensionis.

Cap. XVIII.

CVm Sacramentum pœnitentiæ magnum sit iudicium inter Deum, & pœnitentem, ipsiusque præcipuus actus sit conuersio hominum ad Deum, quæ tunc fit, ac peragitur, cum commissa peccata, graui dolore, & odio habemus propter Deum, illaque humiliter, & simpliciter Confessori Christi ministro confitemur, ne diabolus effectum tanti Sacramenti impediat, atque Moniales à confitendis peccatis retardet, præcipimus

pimus tàm Monialibus ipsis, quàm Confessario, vt in actu Confessionis, non possint alios discursus facere de quibuscumque rebus, nisi tantum de peccatis admissis, & alijs ad confessionem spectantibus, sub pœna sanctæ Obedientiæ quoad Moniales, & suspensionis ab audiendis confessionibus quoad Confessarios.

Cap. XIX.

NEmini sine expressa nostra licentia in scriptis concessa, cuiusuis status gradus, sexus, aut conditionis existat, siuè laicus, siuè clericus, liceat sub quouis prætextu in collocutorijs Monialium ingredi, nec cum illis, aut alijs intra Monasterium existentibus alloqui, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, præter coniunctos in primo, & secundo gradu, & sine nostra licentia, sed semel tantum in mense ex concessione Sacr. Cōgregationis in rescripto Episcopo Sebenicen. sub die 16. Septembris 1596. non tamen tempore Quadragesimæ, & Aduentus, & diebus in quibus Moniales sacram Communionem sumpserint.

Cap. XX.

LIcentiæ à nobis concessæ consanguineis Monialium extra primum & secundum gradum sint in scriptis, nec possint excedere tres vices in quolibet mense, nec excedere dimidiam horam in locutione; qui verò non fuerint consanguinei, nullo modo eas alloqui possint, nisi semel tantum; & caussa à nobis cognita, ac licentia in scriptis obtenta; quod si aliqua deceptione & dolo licentiam obtinuerint, incurrant excommunicationē, ac si absque licentia locuti fuissent. Clerici vero & aliæ personæ ecclesiasticæ, etiam si fuerint consanguinei, & licentiam à nobis

scriptam obtinere, & caussam allocutionis pandere teneantur sub eadem poena excommunicationis eo ipso.

Cap. XXI.

IN diebus quibus Moniales sacrum Eucharistiæ Sacramentũ communiter suscipiunt, etiam si aliqua ipsarum non fuerit communicata, non possint crates adire sub poena excommunicationis, sed tantum liceat Præfectæ Rotæ, & Portinariæ pro rebus ad Monasterium necessarijs cum alijs negotiari.

Cap. XXII.

NVllus audeat Moniales alloqui à rota, nisi tantum eas vocare; locutio vero fiat tantum à crate sub poena excommunicationis latæ sententiæ.

Cap. XXIII.

IN quolibet Monasterio rotarum tabulæ interius, vel exterius muniantur ex stamno, vel ferro infra duos menses, itaut nulla sit fixura, nec fixuræ suspicio, per quam inspici possint Moniales, nec personæ à foris existentes, sub poena Abbatissæ suspensionis ab eius officio per Annum.

Cap.

Cap. XXIV.

NVllus Sacerdos siuè sæcularis, siuè regularis missas celebrare audeat in ecclesijs Monialium absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia sub pœna suspensionis eo ipso incurrenda.

Cap. XXV.

AD professionem nulla admittatur antè sextumdecimum annum completum suæ ætatis, nec quæ minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit; & quæ nesciat legere vt rescripsit Sacr. Congr. Episcopo Agrigentino sub die 12. Ianuarij 1604.

Cap. XXVI.

SI qua Monialis sibi cellam construxerit post obitum de ea disponere non possit, vt decreuit Sacr. Congr. in responso Episcopo Auersano 26. Ianuarij 1604.

Cap. XXVII.

PEcuniam, quam Moniales permissis laboribus lucrantur, vel dono recipiunt, nequaquam, sibi retinere posse rescripsit Sacr. Congreg. Episcopo Parmen. 14. Iunij 1579. in his verbis. Nostro Signore vuole che la Badessa tenga tutte le cose che sono date alle Monache particolari, ò che esse in alcuna maniera guadagnano per spenderle particolarmente in seruitio di quella Mo-

naca alla quale era stata donata,& quelche auanza si potrà spendere per commodità del Monasterio.

Sed quia huic malo occurrimus, cum iam deputauerimus in quolibet Monasterio Depositariam penes quam deponantur dictæ pecuniæ & expendantur pro seruitio illius Monialis, cuius sunt labores, vel cui aliquod fuit donatum, & cum licentia Abbatissæ, præcipimus id in posterum inuiolabiliter obseruari.

Cap. XXVIII.

PRohibemus Monialibus cibum externis parare, absque nostra licentia, vel esculenta vendere, exceptis tantum cibis parui momenti, pro infirmis, & consanguineis duntaxat, iuxta decretum Sacr. Congr. 1. Iulij 1616. editum.

Cap. XXIX.

HOra vigesima tertia pulsata Ianitrices, & Auscultatrices collocatoria omnino obserant, nec aliquos ad colloquendum admittant, sub pœna priuationis cratũ per tres menses pro qualibet vice, & hora vigesimaquarta pulsata obseretur fenestrella Rotæ, & ianuæ Monasterij occludantur sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Cap. XXX.

ABbatissa nullum conficiat instrumentum, vel quietantiam absque nostra licentia, nec ab alio notario, quam à nobis deputato, sup pœna nullitatis contractus, nec aliquid locare, per-

permutare, aut vendere, siuè aliquod ædificium nouum construere, nec destruere præsumat, sub pœna suspensionis ab officio ad nostrum arbitrium.

Cap. XXXI.

Comitatrices, Ianitrices, Rotæ præfecta, & Sacristana non eligantur minores trigintaquinque annorum, sub pœna nullitatis electionis, ac alijs nostro arbitrio reseruatis.

In reliquis obseruentur decreta Sac. Conc. Trid. & quæ in decretis Generalis visitationis edidimus in Anno præterito 1637.

TITVLVS XXXIII.

De Vsura, & falsis Testibus.

Cap. I.

CVM Vsurarum impium, ac immane scelus, diuino, humanoque iure damnatum, execratumque veluti cancer in pauperum bona, ac eorum perniciem, & quod execrabilius est, in Vsurariorum animas serpat; cupientes quantùm cum Deo possumus, tàm pestiferum malum è medio tollere, præcipimus, & mandamus sub pœna vntiarum auri decem pijs vsibus applicanda, & in subsidium iuris, excommunicationis latæ

latæ sententiæ, ne quis in posterum cuiusuis status, gradus, & conditionis existat, audeat quodcumque vsuræ genus, vel monopolij, siuè quemcumque alium illicitum contractum etiam palliatum facere; nec aliquid ratione mutui, vel depositi exigere, vltrà sortem principalem; nec cambia sicca facere, in quibus pecunia non in loco nominato in litteris, sed in eodem loco, vbi pecunia recipitur & soluitur; nec pecunia credita, vltrà supremum, seù rigorosum pretium, quo res valet, suas merces vendere anticipatum conducere, minori pretio, quam communiter solitum est solui pro laboribus illis subeundis; cum vltrà pœnarum prædictarum incursum etiam ad restitutionem teneantur; nec bona pluris, quam valent, etiam cum aliqua pecuniæ quantitate admista, & soluta vendere, cum hæc omnia sint Vsuraria; Præcipientes Parochis, & cæteris confessoribus, vt in nullo horum casuum, pœnitentes absque nostra licentia, præuia etiam satisfactione, absoluere audeant, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, & Parochi, vt prædicta in notitiam populi deueniant, sæpius hoc decretum populo inter missarum solemnia vernacula lingua declarent.

Cap. II.

NOtarij verò diligenter aduertant ne talis contractus Vsurarius, quos ipsi ex animo, & conscientia suspectos intelligant, vel suspicantur stipulari audeant, vel præsumant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vltrà diuinam vltionem, & restitutionem, ad quam tenentur.

Cap.

Cap. III.

QVi falsum testimonium dixerit graue peccatum committit & ex sententia D. Augustini vincit homicidam, & ad tria obligatur, primo Deo, Optimo, Maximo, cuius præsentiam supernit; deinde Iudici, quem mendacio fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio grauiter offendit; quippe quod in eius potestate est insontes bona fama, vita, & facultatibus orbare. Ne igitur tàm immane scelus inultum, & impunitum reliquatur; præcipimus vt qui falsum testimonium in iudicio dixerit in quocumque Tribunali siue Ecclesiastico, siue sæculari, siue in causa ciuili, siue in criminali, vel ad id consilium, auxilium, fauorem, vel mandatum dederit excommunicationis pœnam, latæ sententiæ incurrat, in quam etiam pœnam incidant facientes, vel affigentes libellos famosos, vltrà pœnas in Constitutione fel. record. Pij V. impositas: ac etiam duella facientes, tractantes, ac etiam de composito spectantes iuxtà Constitutionem fel. recordat. Gregorij XIII. quæ incipit. Ad tollendum.

TITV-

TITVLVS XXXIV.

De Concubinarijs.

Cap. I.

GRAVE ſcelus eſt Homines ſolutos concubinas habere, grauiſſimum verò vxoratos; nam præter ſcandala, animæque periculum, vnum inter cætera id ſatis eſt, quod maximè caſtiſſimas mulieres exaſperare ſolet, dum ſuum thorũ, & fidẽ ſibi datam violari vident ab eorum viris; Idcircò vt ad eam, quæ decet continentiam, vitæque integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur, & laici in ſtatu damnationis minimè viuant, præcipimus vt concubinarijs, tam ſolutis, quam vxoratis, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam tèr admoniti, à concubinarum conſuetudine ſe non ſeiunxerint, à fidelium, & ſacrorum communione arceantur, & excommunicationis ſententiam incurrant, nec abſolutionis beneficium conſequantur, donec reipſa admonitioni factæ paruerint; Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis permanſerint, cõtra eos procedatur ſeuerè, prout Epiſcopo videbitur. Mulieres verò ſiuè ſolutæ, quæ cum Adulterius, ſeù concubinarijs publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint grauiter punientur, & à Ciuitate eijcientur, etiam inuocato ſi opus fuerit brachio ſæculari; Pœnis à Sac. Canon. contra Adulteros, & Concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

TITV-

TITVLVS XXXV.

De Simonia.

Cap. I.

SIMONIACÆ prauitatis deteſtabile, & exe-crandum ſcelus, à Sacris Canonibus, & bullis Pontificijs frequenter deteſtatum, ex hominum mentibus eradicare exoptantes, præcipimus contra illos inuiolabiliter obſeruari Conſtitut. præcipuè Pauli II. Pij IV. & V. ac Sixti V. & nihilominus quicunque crimine Simoniæ in recipiendis ordinibus cõmiſſæ, ſiuè, per ſe ipſum, ſiue per interpoſitas perſonas, conuictus fuerit, eo ipſo ab illorum executione ſit ſuſpenſus per triennium, & per annum carceribus mancipetur.

Cap. II.

QVi verò beneficium, officium, vel dignitates eccleſiaſticas Simoniacè conſecutus fuerit, ſciat ſe illis ipſo iure priuatum, & ad fructuum reſtitutionem obligari, & ad ea, ac ad alia quæcumque beneficia perpetuò eſſe inhabilem.

Cap. III.

ILli verò, qui confidentiā in beneficijs committunt in pœnas Constut. Pij V. incidere se sciant. Confidentia verò admittitur, cum quis post aliquod tempus, receptum beneficium alteri renunciat, vel aliquam partem fructuum, vel integros fructus, ab alio percipi sinit, vel simili aliqua conditione, qui beneficiū non sibi, sed alteri accepisse videtur. Confidentiæ crimen admittentes sunt ipso iure omnibus beneficijs priuati, & ad alia consequenda in futurum inhabiles perpetuò redduntur & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodantur, a qua, nisi in mortis articulo, à nemine, nisi à solo Romano Pontifice absolui possunt.

Ad hoc detestabile confidentiæ crimen probandum admittuntur etiam testes singulares, & criminosi, ac cæteri omnes.

Cap. IV.

VErùm quia in hac nostra Ciuitate & Diœcesi, quam plurima adsunt beneficia de iure patronatus laicorum, in quorum institutione variæ fraudes committi possunt; vt ijsdem fraudibus occurramus, hac præsenti constitutione præcipimus, vt omnes qui inposterū, ad aliqua huiusmodi beneficia fuerint instituti, autē eorum possessionem teneantur iuramentum infrascriptum in manibus nostris, vel nostri Generalis Vicarij præstare, alioqui fructus suos minimè faciant.

FOR-

FORMA IVRAMENTI
hæc est videlicet.

EGo N. præſentatus ad beneficium N. N. Iuro, & profiteor per hæc Sancti Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficij obtinendi cauſſa, vt ad illud præſentarer, vel nominarer; neque quemque alium meo nomine, aut me ſciente & conſentiente, quidquam præſentanti, ſeù cuiquam alij, ea de cauſſa promiſiſſe, dediſſe, compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe, vel prius mutuò datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe, neque de domibus, terris, prædijs redditibus, huius eccleſiæ fructibus præteritis, præſentibus, vel futuris, donationem, promiſſionem, vel locationem feciſſe, aut iniuiſſe. Sic me Deus adiuuet & hæc Sancta Dei Euangelia.

TITVLVS XXXVI.

De Vicarijs Foraneis.

Cap. I.

QVoniam hæc noſtra Ciuitas Cauen. diſtincta eſt quamplurimis Caſalibus non parum à noſtra reſidentia, & Tribunali remotis, adeò, vt non ſic facile à noſtris Curiæ miniſtris, mores & geſtus clericorum perpendi, & conſpici valeant; Proindè mandamus, in remotioribus caſalibus deputari Vicarios foran eos, morum grauitate, prudentia, ſapientiaque præditos, qui in diſtrictu, & locis ſibi aſſignatis noſtras ſubſtineant vices, p out infra.

Cap. II.

EOrum partes erunt denunciare nobis, & noſtræ Curiæ omnia delicta in ſuo diſtrictu commiſſa, capta prius quam celerrimè informatione; ſi autem delinquētis fuga ſuſpicari poterit, vel delicti qualitas id popoſcerit, delinquentem ipſum, ſtatim curent noſtris carceribus coërceri, quod etiam obſeruari mandamus, quoties aliquem in fragranti crimine deprehendent.

Cap. III.

INuigilent sedulò super vita, & moribus clericorum, ac super festorum obseruatione, & contra transgressores capta informatione, per pignorum captionem procedant, reliqua Curiæ nostræ Episcopall iudicanda relinquant.

Cap. IV.

QVerelas partium ipsi excipiant, & ad informationem procedant fideliter, ac Iura nostræ Cathedralis ecclesiæ, mēsæque Episcopalis accerrimè defendāt; & ne in dictæ nostræ mēsæ Episcopalis montaneis, damna inferantur semper inuigilent. Si quis autem ex dictis Vicarijs foraneis processum aliquem, vel delictum occultauerit, vel querelas, instantibus partibus non exceperit, vel post exceptas non processerit, eo ipso suo officio priuatus existat, alijsque pœnis nostro arbitrio punietur.

Cap. V.

ABusus omnes, tàm præteritos quam de nouo emergentes, qui nobis sunt ignoti, accuratè ab eis nobis denuntientur; & questores quos sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia in scriptis obtenta adinuenerint, carceribus coërceanr; id quod seruari etiam volumus in eos, qui tum licentia, sed vltra vel præter eis concessum, aliquid egerint, exegerint, vel extorserint.

Cap.

Cap. VI.

COnstitutiones huius nostræ synodi, aliaq; nostra edicta omnia, ad vnquem obseruari curent, transgressores nobis denunciantes, & tertiam partem pœnarum, quas à transgressoribus exigemus ex nunc eisdem Vicarijs applicamus.

Cap. VII.

SIngulis mẽsibus vnusquisque Vicarius Foraneus à suæ regionis Parochis perquirat qui obierit, ijsque animam agentibus, an illi præsentes adfuerint, an curæ, & pietatis officia omnia eisdem moribundis præstiterint, tum vbi opportunè in mortuorum ægrotorum affines siuè domesticos inciderit parochialium Sacerdotum debitum officium ab illis diligentes recognoscat: & si eos negligentiores esse animaduerterit, & illos reprehendat, & eorum negligentiam ad nos deferat.

TITV-

TITVLVS XXXVII.

De Archiuio.

Cap. I.

QVoniam per Const. fel. record. Sixti V. edita in anno 1487. octaua Iunij coguntur omnes ecclesiarum Prælati in eorum Diœcesi, & singuli administratores Ecclesiarum conficere publicum Archiuium, ad hoc vt perpetuis futuris temporibus, quæ ad Ecclesias & clericorum statum pertinent, tutè, fideliterque custodiantur. Præcipimus, & mandamus, vt in Episcopali nostro palatio fiat Archiuiũ iuxta formã prædictæ cõstitutionis pro quò ex nunc assignamus domum interiorẽ nostri Tribunalis, quæ respondet supra portam Ecclesiæ Cathedralis, quà itur ad Casale dictum Alli Pianesi, in qua etiam ad præsens reperiuntur repositæ aliquæ scripturæ ipsius Tribunalis; Mandantes nostro Actuario, vt donec de aliquo fideli custode prouideatur, in eo reponat omnes scripturas, tàm Ciuiles, quàm Criminales, & documenta omnia, suis locis distincta, proprijs materijs distributa. Ibi facultates omnes ad spirituales gradus exercendos; ibi sacratum omnium reliquiarum, atque Indulgentiarum, quæ in singulis Ecclesijs reperiuntur catalogus conseruetur. Ibi legata quæcumque ad pias caussas relicta deferantur. In eo inuentaria omnium mobilium & stabilium, ad quascumque Ecclesias, beneficium, vel loca pia pertinentium, reponantur. In eo registrum omnium bullarum, ac Parochorum libri in quibus baptizzatorum, Confirmatorum, Matrimo-

monia contrahentium, & defunctorum nomina; Item filianorum Parochiæ, & animarum omnium, quæ sub eius sunt cura singulis annis collocentur.

Cap. II.

ET quoniam in huiusmodi Archiuio magnũ ecclesiarum præsidium repositum esse dignoscimus, præcipimus omnibus; & singulis Parochis, beneficiatis, Notarijs, œconomis, & Ministris quorumcumque hospitalium, & piorum locorum vt infra trium mensium spatium aliud Archiuium conficiant in eorum ecclesijs, & locis pijs; conficiantque inuentarium iuxta formam à nobis præscriptam superius de rebus Ecclesiæ non alienandis, cuius originale conseruetur in eorum Archiuio, & copiam authẽticam singulis annis ad dictum nostrum Archiuium deferre omninò curent, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis. Et tàm Archiuium nostri Palatij Episcopalis, quam aliarum Ecclesiarum, & piorum locorum, pro tutiori illorum conseruatione singulis annis à nobis, nostrisque successoribus visitentur.

Requi-

Requisiti da osseruarsi da gl'ordinandi

Per la prima tonsura.

1 QVELLI che s'haueranno da ordinare de prima tonsura, prima vogliamo che sappiano leggere, e scriuere, e la Dottrina Christiana, ò almeno le parte principali di quella, & anco siano confirmati secondo il sacro Conc. di Trento.

2 Che siano d'anni sette compiti, e non meno.

3 Che habbiano fatte le denuntie nella lor Parocchia, conforme all'vltimo decreto della sacra Congregatione, e si faranno da 15. anni in sù debbiano anco hauer fedi dalla criminale di questa Città della Caua dalla Audienza di Salerno, e dalla gran Corte della Vicaria.

4 Che siano di buona vita, & indole, e che non habbiano difetti notabili della lor persona.

5 Che habbiano seruito almeno per sei mesi auanti in aiutar le messe in alcuna Chiesa.

6 Che habbiano la sottana lunga, e talare con la barretta pretina cotta di tela lor propria, e non improntata.

Per gl'ordini minori.

1 CHe sia andato in habito e tonsura, e seruito nella Chiesa assignatali con fede giurata del Parocho.

2 Intenda bene la lingua latina conforme al Sacro Concilio di Trento.

3 Che non sia inquisito nel nostro tribunale, e che non habbia giocato à carte, o dati publicamente, o portato armi.

4 Che frequenti la scola con fede giurata del maestro del progresso che hauerà fatto in detta scola.

5 Che habbia frequentato li SS.Sacramenti, e sia di buona vita, e costumi.

6 Che babbia la copia della bolla del'vltimo ordine.

7 Che faccian la denuntia nelle Parocchie secondo la forma del'vltimo decreto della Sacra Congregatione.

Per il Suddiaconato . .

1 CHe se sia esercitato negli ordini minori almeno per vn anno.

2 Che habbia menata buona, & exemplar vita, e frequentato li SS.Sacramenti.

3 Che sia andato almeno vn'anno continuo alla Congregatione de casi, e riti con fede giurata.

4 Che non sia inquisito nel nostro tribunale.

5 Che habbia l'età necessaria mediante fede del battesimo, ò esame de testimonij in defetto di quella.

6 Che habbia beneficio, ò patrimonio sufficiente per il suo vitto, quale possèda pacificamente, e percepa li frutti.

E per quelli che s'ordinano ad titulum patrimonij, habbino il patrimonio consistente in beni stabili reddititij, ò annue entrate quale habbia posseduto pacificamente almeno per sei mesi.

Che l'entrata de detti stabili ascenda almeno à docati trenta l'anno deductis omnibus expensis, in maniera che detti annui trenta restino espliciti per il vitto di detti ordinandi.

Che le donationi, ò consignationi si facciano, seruata la forma del decreto Synodale nel titolo de ordine c.6.cioè.

Il patrimonio sia vero, e non fitto, e che veramente, e realmente si possèda, & s'il patrimonio accadarà donarsi, ò assignarsi, si debbia far l'instrumento dal Notaro da noi deputando tantum, e non altrimente, e costi di più, che li beni donati siano stati dominio, e possessione del donatore, e per l'adietro non siano hipotecati ad altri, e che subito passi il clerico donatorio nella possesione delli beni donati, & acciò non si commettino frodi, vogliamo, che quãdo accaderà farsi donatione, ò assignatione del patrimonio al clerico da altri se produchi vn

vn publico instrumento di detta assignatione dal donatore, e donatorio vallato seù confirmato con giuramento, che la predetta assignatione sia reale, e sia lontana da ogni frode, e fittione, e che non sia fatto per lo passato, ne si facci per l'auuenire atto, seù contratto alcuno in pregiuditio di detta assignatione, o donatione con l'annullatione di qualsiuoglia atto fatto ò da farsi, & altrimente nessuno s'ammetta per l'auuenire all'ordine del suddiaconato al titolo di patrimonio.

Oltre di ciò vogliamo che sappiano il tono dell'Epistola, e che porti fede della bolla dell'Acolitato, & anco porti fede delle denuntie.

Per l'ordine del Diaconato.

1 CHe habbia fede dell'età necessaria.

2 Che habbia esercitato almeno vn'anno il Suddiaconato nella Chiesa Catedrale nelle feste, e quaresima.

3 Che dimostri con proue sufficienti la perceptione de frutti di benefitio, ò di patrimonio.

4 Che non sia inquisito nel nostro Tribunale.

5 Che habbia frequentato li SS. Sacramenti.

6 Che sappia il tono dell'Euangelio, e gli toni dell'Ite missa est, e del Benedicamus Domino secondo la varietà di tempi, altrimente non s'ammetti à detti ordini.

7 Che portino fede delle publicationi.

Per l'ordine del Sacerdotio.

1 CHe habbia continuato la Congregatione de casi, e de riti per tutto il tempo del Suddiaconato, e Diaconato.

2 Che habbia esercitato il Diaconato almeno per vn'anno nella Chiesa Catedrale nelle feste, e quaresima.

3 Che porti la copia della bolla del Diaconato.

4 Che habbia la fede dell'età necessaria.

5 Che porti la fede delle denuntie.

6 Che non sia inquisito.

7 Che habbia continuata la possessione, e percettione de' frutti del benefitio, ò patrimonio.

8 Che sappia cantar' il prefatio, & il Pater noster, & il tono dell'oratione, della Gloria in excelsis Deo, e del Credo.

9 Che Sappia bene le ceremonie della messa, secondo il tuono del messale.

10 Et vltimo che non s'ammetta alla celebratione della prima messa se prima non farà l'essercitij spirituali, massime sopra il Sacerdotio, e messa del Padre Pauone.

Il Tutini nelle Notizie della vita e Miracoli di due Santi Gaudiosi l'uno Vesc.° di Bitinia e l'altro di Salerno nel capo 2. parlando de' vescovi ed altri scacciati dalle loro sedi nella Persecuzione de' Vandali mettendogli sopra le navi malconcie alla discrezione del mare ne fa venire molti nelle n.re parti e qui gli fa arrivare; e tra gli altri vi pone S. Adjutore Vescovo della Cava. Come ciò fosse, e se vero è da farvisi riflessione e studio, sapendosi che la Cava molto appresso fu edificata.

CA-

CATALOGVS EPISCOPORVM CIVITATIS CAVÆ.

CAuensis Ecclesia ab anno mill. & infra à natiuitate Domini fuit recta & administrata per Reuerendissimos Abbates Monasterij SS. Trinitatis Cauen. Erecta fuit in Cathedralem a fel. recor. Bonifacio Nono sub Anno 1394. Septimo Idus Augusti Pontif. eiusdem Bonifacij anno quinto cui ecclesiæ præfecit Franciscum de Aiello Patritium Salernitanum+, qui Franciscus Episcopus à Gregorio XII. in anno 1408. 3 Kal. Ianuarij fuit translatus ad ecclesiam Tudertinā.

+ Patriam, canonicum, et ad Salernitanæ [illegible]

In eius locū fuit substitutus Episcopus Cauen. Franciscus Mormilius Patritius Neapolitanus translatus ab Episcopatu Sarnensi ad dictam Ecclesiam Cauen. qui cum laudabiliter in ea se gessisset vsque ad annum 1419. tandem vita functus sepultus est in dicta ecclesia Cauen.

Sagaz de Comitibus Patritius Romanus nobilissimus à Mart. V. fuit electus Episcopus Cauen. Idibus Nouembris 1419. qui in anno 1426. à prædicto Pontifice translatus fuit ad Carpentoracen. Ecclesiam.

Eodem anno 1426. Angelottus Fuscus Romanus a d. Mart. V. ab Ecclesia Anagnina, fuit translatus ad Episcopatū Cauen. loco prædicti Sagacis de Comitibus translati ad Carpentoracen. vt supra, & in anno 1431. ab Eugenio IV. fuit creatus Card. sub tit. S. Marci, præfuit ecclesiæ Cauen. vsque ad annū 1444. quo anno à quodam iuuene filio nutricis dicto Angelotti fuit vulneribus confossus Romæ, quibus occubuit subtractis pecunijs, & prætiosis gemmis ad summam ducatorum centum mille, prout Ciacconus in vita Cardinalium.

Ludouicus Scarampus alias mezza rota Patriarca Aquiliensis, & Card. ac Cammerarius Apost. Sedis in d. anno 1444. Cauen. Ecclesiam, & Monasterium in commendam suscepit, ipsamq; gubernauit vsque ad annum 1465. attenta confirmatione priuile-

uilegiorum à d. Eugenio IV. concessorũ Cauensi Monasterio atque à diuersis Salernitanis Principibus. Obijt Romæ, & sepultus est in Ecclesia S. Laurentij in Damaso cuius titulo Cardinalis erat decoratus.

Ioannes de Aragonia filius Regis Ferdinandi primi Neapolitanus Cardinalis tit. S. Adriani Archiepiscopus Salernitanus commendatam accepit ecclesiam Cauen. in d. anno 1465. a Nicolao V. Pontif. eamque gubernauit vsque ad annum 1485. obijt Romæ pestis morbo Kal. Nouembris d. anni 1485. & in Ecclesia S. Sabinæ sepult.

Oliuerius Carrafa Card. Episcopus Ostiensis, ac Archiepiscopus Neapolitanus Decanus Collegij Cardinalium in d. anno 1485. commendatam accepit Ecclesiam Cauen. ab Innocentio VIII. eamque gubernauit vsque ad annum 1494. quo anno commendam Ecclesiæ prædictæ, ac Monasterij Cauen. renunciauit R.P. S. Benedicti siue Abbati S. Trinitatis Monasterij prædicti Cauen. in manibus Alexandri Papæ VI. reseruata sibi pensione scutor. auri de Camera duorum mille, & quadrigentorum, & sic Ecclesia Cauen. fuit recta à dictis Patribus S. Benedicti, seu Reuerendiss. Abbate prædicti Monasterij Cauens. vsque ád annum 1511. quo anno D. Chrysostomus de Neapoli Abbas dicti Monasterij Cauen. mediante assensu Leonis X. cessit Ecclesiam Cauen. ipsamque dotauit quamplurimis agris domibus, & iurisdictionibus Cauen. & signáter cessit iurisdictionem ciuilem, portulaniam, siclam, baiulationem, & molendina casalis Molinæ, omnes decursus aquarum totius Ciuitatis Cauæ, Portum maritimæ veteris ad quinque miliaria maris circumcirca vsque ad portum fontis inclusiue, quæ iura fuerunt declarata ab Eminentiss. Francisco de Soderinis vulgo Card. Vulterranus appellatus Abbati Capuano, & fuit concessa in commendam Ludouico de Aragonia filio Alfonsi Secundi Regis Neap. quam gubernauit vsque ad annum 1519. quo anno supradictus Leo X. Episcopum Ecclesi. Cauen. creauit Petrum Sanfelicium patritium Neap.

Et

Etsic in d.anno 1516. Petrus Sanfelicius fuit creatus,& electus Episcopus Cauen.& instituit Canonicos decem,& octo,nempe sex dignitates, quarum prima est Archidiaconus, secunda Archipresbyter, Tertij Primicerius,quartus Custos,cui hodie est annexa pœnitentiariæ, quinta Cantor, sexta Thesaurarius, reliqui sunt Canonici simplices.

Ioannes Thomas Sanfelicius nepos prædicti Petri ab eodē Leone X. per renunciationem eiusdem Petri fuit creatus Episcopus Cauen. qui etiam interfuit Sac.Conc.Tridentino.

F. Ioannes Thomas Casellus Ciuitatis Rossani ordinis Prædicatorū S.Dominici a Iulio III. in anno 1550. fuit creatus Episcopus Cauen. interfuit Sac.Conc.Trident. & creatus primus commissarius generalis eiusdem Concilius.

Cæsar Alemagna de Curtona à Pio V. fuit creatus Episcopus Cauen. in anno 1570. obijt in anno 1606. 28. Septembris, sepultus in Ecclesia Cathedrali Cauen.

Frater Cæsar Lippius a Mordano ordinis S. Francisci conuentualis Theologus eximius, fuit creatus Episcopus Cauen. a Paulo V. & eamdem Ecclesiam gubernauit, acerrimè defensis eius iuribus vsque ad annum 1612. 11. ~~Martij~~, quo die obijt in ~~Casali Veteris, & sepultus est in dicta sua Ecclesia~~ Cathedrali in Cappella Sancti Angeli Custodis.

Matthæus Granitus patritius Salernitanus à Gregorio XV. fuit creatus Episcopus Cauen. quam Ecclesiam gubernauit vsque ad annum 1635. 27. Septembris, quo tempore fuit translatus ad Metropolitanam Ecclesiam Amalphitanam.

Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Hieronymus Lanfranchi præsens Episcopus Cauen. fuit creatus Episcopus a SS. D.N. D. Vrbano VIII. in anno 1635. circa mensem Nouemb. & ob aliquas lites pensionum possessionem distulit capere vsque ad 22. Februarij 1637. quæ fuit capta per Admodum Reuerendum D. Ioannem Camillum Francum eius Generalem Vicarium, & deinde post octo dies personaliter ipse accessit ad suum Episcopatum. Obiit sedens improvisa morte die XXVII Maii hora 18. an: 1659. ut adnotatur in pr. pagina hujus codicis. Hinc emendandus est Ughellius in [illegible] ubi in Additione scribit mortuum [illegible] senio gravis anno 1660.

In dicto Episcopatu extiterunt infrascripti Vicarij Episcopi; nempe Albertus de buon Christianis Episcopus Comædes Vicarius Generalis Episcopi Sagacis de comite ex quadam bulla iurispatronatus quondam Paschalis de Troisio in Cappella S. Benedicti sita intus Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Purificationis, à Vetranto; expedita dicta bulla in anno 1421. sub die 20. Octobris.

Nicolaus Antonius de Piscibus Episcopus Muneren. Vicarius Generalis Cauen. Eminentiss. olim Cardinalis Oliuerij Carrafæ commendatarij Episcopatus, & Monasterij Callen. prout colligitur ex quadam bulla concessionis Cappellæ intus Parocchialem Ecclesiam SS. Saluatoris Casalis Pasciani Cauen. Pampino Iuueni, & fratribus in anno 1489.

Alexander Archiepiscopus Neapolitanus fuit etiam generalis Vicarius Cauen. eiusdem D. Cardinalis Oliuerij, prout colligitur ex quaddam bulla in Bergameno in Archiuio Episcopalis Curiæ existente collationis eiusdem Cappellaniæ Ecclesiæ S. Andreæ Casalis Veteris in personam Martinelli Casaburij de Caua sub datum in Palatio Episcopali Neapolitanus dec. octaua Februarij 1497. & ex alia bulla in Bergameno existente in eodem Archiuio.

Episcopus Rauellen. fuit Vicarius Generalis Cauen. vt ex bulla concessionis eiusdem Cappellæ sub titulo S. Antonij Abbatis intus Parocchialem Ecclesiam Sanctissimæ Annuntiatæ Cauen. familiæ delli Vitali de anno 1513. gubernante Episcopatum Cauensem Ludouico de Aragonia Cardinale.

Episcopus Auellinen. etiam fuit Vicarius Generalis Cauen. vt ex quodam instrumento quod ob vetustatem non bene potuit intelligi nec haberi annus.

FINIS.

Errata corrigenda in Synodo Cauen.

In Oratione ipſius Synodi.

Pag.	*verſ.*	*Errata.*	*Corr.*
1	16	naturæ	natura
1	29	tanta	tantæ
3	4	firmate	ſyrmate
4	5	empiorum	emporium
	19	ſupple	tui
	37	moderationem	moderatione

In approbatione Synodus mandato à magiſtri dele, à,

In tabula.

tit. 11.	vnitate	immunitate
tit. 12.	iuris	iuribus
	49	45

In Synodo.

Pag.	*verſ.*	*Errata.*	*Corr.*
36	4	Eccleſia	Eccleſiam
63	10	ſegregamus	declaramus
64	16	pro monte	pio monte
81	6	euoluant	exoluant
101	16	contentationes	contentiones
102	3	tamen	tantum
117	13	anterior	exterior
118	14	Clementinæ	Clementina
118	25	tantum	ſaltem
120	18	ſequatur	ſeruet
123	6	ſanctiſs.	ſanctorum
125	4	propria	proprio
125	21	noſtrum	noſtrorum
126	15	penitus	omnino

Bb *Pag.*

Pag.	*verf.*	*Errata,*	*Corr.*
129	7	Regularis	Regulares
135	24	producto	prudentia
152	15	facro	facra
155	10	enutrimendis	enutriendis
158	7	totam	totum
157	7	dicto	dictorum
165	23	quantitatibus	qualitatibus
175	5	fupernit	fpernit
176	20	adulterius	adulteris
178	21	autem	ante
183	5	1487.	1587.
190	penult.	1519.	1516.
191	4	tertij	tertia
191	4	quartus	quarta
191	5	penitentiarię	pœnitentiaria
191	10	Rhomas	Thomas
191	20	11. Martij	11. Maij
192	8	Muneren.	Murenen.